9. 6. 215

Digitized by Google

# P R A X I S
## SACRORUM RITUUM
PRÆCIPUAS ECCLESIASTICAS
FUNCTIONES CONTINENS

*A U C T O R E*

FRANCISCO DESIDERI

NOBILI PISTORIENSI J. U. D.
SANCTÆ MARIÆ A COLONICA

P L E B A N O

IN RURALIUM ECCLESIARUM COMMODUM.

Cui acceſſere quædam Additiones, & Adnotationes ejusdem Auctoris in fine.

*Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo D. D.*

FRIDERICO
ALAMANNI
EPISCOPO. PISTORIENSI, ET PRATENSI.

FLORENTIÆ. MDCCXXXIX.

Typis Petri Cajet. Viviani. *Superiorum Permiſſu.*

Digitized by Google

ILLUSTRIS.ME AC REVERENDIS.ME

# PRÆSUL.

DUo profecto ſunt, quibus velut impellor, ut opuſculum hoc TIBI

*præ cæteris inſcribam* ILLUSTRISSIME DOMINE, *& debitum mei famulatus obſequium, & inflammatum divinarum rerum ſtudium tuum, in iiſque religioſe curandis, vigilantia ſingularis. Siquidem cuinam fidelis, & obſequens famulus operas debet ſuas, niſi* AMANTISSIMO DOMINO? *Vel quis poterit umquam dubitare, quin futurum alicui pergratum ſit, quod vult a ſuis accurate, diligenterque ſervari, quòque ipſe mirifice delectatur? His ergo permotus au-*

*deo* TIBI PRÆSUL AMPLISSIME *hoc offerre munuſculum, mole quidem parvum, ſed rerum, quas continet, dignitate permagnum, nec in exiguæ oblatum obſervantiæ in* TE *meæ argumentum, adeoque nec mediocri, uti ſperare juvat, ab* HUMANISSIMO PRÆSIDE *benignitate excipiendum. Apponenda hic eſſet de more ingentium, quibus ornaris, virtutum, præclariſſimæque Familiæ tuæ commendatio; ſed obſtat in primis animi tui eximia moderatio, quæ futiles hujuſmodi laudes a-*

*verſatur, meliora enim æmulatus chariſmata in* DOMINO *tantum gloriaris: obſtat deinde & inſita mihi ab ineunte ætate animi mei ingenuitas, ab omni vel leviſſima aſſentationis ſuſpicione aborrentis. Unum itaque tantummodo ſupereſt, mihi maxime neceſſarium, ut me nimirum, & hanc lucubrationem meam æquis aſpicias oculis, tuamque in fidem accipias; quod dum humiliter imploro, in genua provolutus ſacram veſtem deoſculor, & paſtoralem tuam benedi-*

*ctio-*

*ctionem expoſcens, ſummo mi-
hi ſemper honori ducam eſ-
ſe, dicique*

Dominationis Tuæ Ill.mæ ac Rev.mæ

*Humillimus Servus, & Subditus*
FRANCISCUS DESIDERI.

Digitized by Google

*Anima, ſi prævaricans cæremonias, per errorem, in his quæ Domino ſunt ſanctificata, peccaverit, &c.*

Levit. 5. 15.

Digitized by Google

# PRÆFATIO.

OMnium quidem ſeculorum commendatione digniſſima videtur perutilis ſanctio illa, qua per Concilium Toletanum IV. nationale celeberrimum, anno ſalutiferæ Redemptionis noſtræ 633. ſub Honorio Primo S. Pontifice celebratum, Canone 25. ſalubriter cautum fuit, ut quando presbyteri in parochiis ordinabantur, ſacrorum Rituum librum acciperent, ne in divinis celebrandis officiis,

aut

Digitized by Google

aut Sacramentis adminiſtrandis errarent, ſed omnia juxta receptam Eccleſiæ conſuetudinem rite peragerent, cujus deinceps rei exactam generalibus in comitiis rationem reddere Epiſcopo tenerentur. O tempora! o mores! Utinam noviſſimis hiſce temporibus vetus ſacri illius Senatus conſultum ruri præſertim innovaretur! Experientia enim compertum videmus, non in Villis tantum, ſed in Pagis, & Caſtris nihil jam magis a Sacerdotibus ignorari, quam eccleſiaſticas cæremonias. Hoc igitur animadvertens operam dedi, ut ex probatiſſimis auctoribus magis neceſſaria diligenter, niſi omnia me fallunt, accurateque ſeligerem, quæ in uſitatioribus eccleſiaſticis functionibus obeundis aliquam mihi facem præferrent, ne

pror-

prorſus in tenebris ambulans, quo vaderem, neſcirem: quin potius maxima, qua poſſem, religione res divinas pertractarem. Quibus comparatis, non paucis venerabilibus Fratribus meis, ruralibus Sacerdotibus, qui non magiſtris tantum, ſed ut plurimum libris etiam ſacrarum cæremoniarium omnino carent, privatum ſtudium meum profuturum exiſtimans, illud in publicam lucem doctiſſimorum Virorum conſilio prodire ſum paſſus: etenim quum Deus noſter idem ſit omnium Dominus & in Civitatibus, & in Villis, æquum eſt, ut in actionibus ad communem ipſius venerationem ſpeciali foma a Sacroſancta Matre, ac Magiſtra Eccleſia inſtitutis, æque ab omnibus colatur, honoretur, glorifice-

cetur. Omiſi ritus adminiſtrandi quælibet Sacramenta, tum quia de iis alibi a nobis actum eſt, tum vero præcipue quia dilucide ſatis, & aperte a Rituali Romano juſſu Pauli V. edito, omnibus obvio, de ipſis edocemur.

IN-

# SUMMA TOTIUS OPERIS.


TITULUS I.

DE *Cæremoniis, & Rubricis*. Pag. 1.

TITULUS II.

DE *Ritu SS. Euchariſtiam Fidelibus adminiſtrandi*.

§. I. *Intra Miſſam*. Pag. 6.
§. II. *Pyxidis purificatio*. Pag. 16.
§. III. *Communio extra Miſſam*. Pag. 18.
§. IV. *Communio per modum viatici*. Pag. 24.

TITULUS III.

DE *Benedictionibus*.

§. I. *Notabilia*. Pag. 38.
§. II. *Regulæ generales pro benedictionibus*. Pag. 45.

TITULUS IV.

BE*nedictio Candelarum in B. M. V. Purificatione*.

§. I. *Notabilia*. Pag. 47.
§. II. *Ritus*. Pag. 50.


TI-

TITULUS V.

CInerum Benedictio.
§. I. *Notabilia.* Pag. 57.
§. II. *Ritus.* Pag. 58.

TITULUS VI.

HEbdomada Major.
§. I. *Notabilia.* Pag. 65.
§. II. *Dominica Palmarum.* Pag. 75.
§. III. *Feria V. in Cœna Domini.* Pag. 92.
§. IV. *Feria VI. in Paraſceve.* Pag. 113.
§. V. *Sabbatum Sanctum.* Pag. 140.

TITULUS VII.

VEſperæ Solemnes.
§. I. *Notabilia.* Pag. 167.
§. II. *Ritus in canendis Veſperis.* Pag. 174.

TITULUS VIII.

MIſſa Solemnis.
§. I. *Notabilia.* Pag. 183.
§. II. *Ritus Miſſæ ſolemnis.* Pag. 202.
§. III. *Ritus in Miſſa minus ſolemni abſque miniſtris.* Pag. 258.

TITULUS IX.

INcenſandi Ritus.

§. I. *Notabilia*. Pag. 266.
§. II. *Incenſatio ad Introitum*. Pag. 267.
§. III. *Oblatorum incenſatio*. Pag. 278.
§. IV. *Incenſatio coram Sanctiſſimo expoſito*. Pag. 286.
§. V. *Incenſatio ad Veſperas*. Pag. 290.

TITULUS X.

ABſolutio Defunctorum.

§. I. *Abſolutio cum Feretro*. Pag. 293.
§. II. *Abſolutio ſine tumulo*. Pag. 301.
§. III. *Abſolutio ſine miniſtris*. Pag. 304.
§. IV. *Officium Defunctorum*. Pag. 309.

TITULUS XI.

DIviniſſimi Sacramenti expoſitio.

§. I. *Notabilia*. Pag. 320.
§. II. *Expoſitio cum miſſa*. Pag. 333.
§. III. *Expoſitio abſque miſſa*. Pag. 346.
§. IV. *Depoſitio*. Pag. 349.

TITULUS XII.

PRoceſſiones.

§. I. *De proceſſionibus in genere*. Pag. 359.

§. II. *Litaniarum proceſſio.* Pag. 378.
§. III. *Proceſſio ſolemniſſima in Feſto Corporis Chriſti Domini.* Pag. 388.

TITULUS XIII.

*Octavæ.* Pag. 398.
*Et ibi de Translatione Feſtorum.* Pag. 416.

TITULUS XIV.

*Ritus inſerviendi miſſæ privatæ.* Pag. 424.

TITULUS XV.

*Praxis in viſitatione Epiſcopali a viſitatis ſervanda.*
§. I. *Ante viſitationem.* Pag. 443.
§. II. *In actu viſitationis.*
*Pro Cæremoniis Epiſcopalibus quæ paranda ſunt.* Pag. 445.
§. III. *Ordo ſolemniter recipiendi D. Epiſcopum viſitantem.* Pag. 454.
§. IV. *Poſt viſitationem.* Pag. 456.
§. V. *Ratio ſervandi nitidam, & mundam ſacram ſuppellectilem.* Pag. 459.
*Additiones, & Adnotationes ad complementum Operis.* Pag. 465.

TI-

# TITULUS PRIMUS

## *De Cæremoniis, & Rubricis.*

I. A Cæretibus Etruriæ noſtræ populis dictæ ſunt cæremoniæ; Urbs enim Cæræ totius olim fuit Religionis caput.

II. Cæterum cæremoniarum una cum ipſo homine fuit origo; quum enim nulla umquam fuerit gens adeo barbara, quin in animo Deum aliquem eſſe volens, nolenſque conciperet, factum eſt, ut hoc etiam ſignis quibusdam externis, nempe cæremoniis oſtenderet.

III. Sunt igitur cæremoniæ actiones ſacræ, & exterior quidam religionis cultus, velut imago, ac ſignificatio earum

rerum, quæ in ſacris functionibus exercendis continentur.

IV. Hæ partim a Deo ſunt inſtitutæ, partim ab hominibus, quas Chriſtus Dominus traditiones hominum appellavit, partim ab ipſamet natura, ut homo flexis genibus oret: nulla tamen privata perſona, quavis præfulgeat dignitate, ſed Eccleſia tantum poteſt cæremonias introducere. *Trident. ſeſs. 7. Can.* 13.

V. Quinque ſunt cæremoniarum genera. Primum reſpicit eum, cui religio exhibetur, velut ara, quum ſoli Deo ſacrificium offeratur. Secundum pertinet ad eum, qui operatur v. g. veſtes omnes ſacerdotales. Tertium res intuetur, earumque naturam, hinc cereis utimur, non ſevo, quum materia illa ſit ab animali puriſſimo fabrefacta. Quartum reſpicit locum, ſicut olim nonniſi ad orientem converſi orabant, memores, quod ille, qui eſt ſplendor lucis æternæ, ſedentes in tenebris illuminavit, cujus nomen Oriens; viſitavit enim nos Oriens ex alto: hodie in templis ſaltem benedictis ſacrificium communiter offertur. Quintum tempus, inde quadrageſimale

je-

jejunium ſervamus, divina officia, & ſancta ſacrificia ſtatis horis celebramus.

VI. Quam maximi vero faciendæ ſint, quantoque in honore habendæ ſacræ cæremoniæ, ſatis aperte nos docent Trident. Concilium, & Catechiſmus Romanus, tum quia per eas ſacra, immo ipſamet Sacramenta majori cum reverentia, ac ſanctitate adminiſtrantur, eorumque dignitas, ac majeſtas commendatur; tum quia per hæc viſibilia religionis, ac pietatis ſigna ad inviſibilium rerum contemplationem fidelium mentes excitantur.

VII. Differt cæremonia a ritu, velut aqua ab ablutione, quia cæremonia eſt ipſamet actio, ritus vero eſt modus ad actionem ſacram faciendam præſcriptus, Hic autem ritus traditur in rubricis.

VIII. Rubrica proprie eſt ſpecies quædam rubri coloris, qua ſolent artifices ducere lineas ad opera ſua concinnanda. Hac terræ ſpecie conſueverunt antiqui librorum titulos, capita, & indices notare, præſertim vero titulos, & inſcriptiones legum, quare Juvenalis ſat. 14.

. . . *perlege rubras Majorum leges*, . . .

Unde factum eſt, ut leges ad Miſſam,

 ca-

canonicas horas, aliaſque ſacras functiones celebrandas ab Eccleſia conſtitutæ rubeo in titulis, & capitibus colore tingerentur, adeoque rubricæ nuncuparentur.

IX. Dividuntur communiter rubricæ in præceptivas, quæ ex genere ſuo obligant ad mortale, niſi materiæ parvitas, oblivio, ignorantia inculpabilis, & inadvertentia excuſet, hæc enim culpam imminuunt; & in directivas, quæ quum ſint de conſilio non obligant ſaltem ſub mortali, dummodo non negligantur cum ſcandalo, ex contemptu, vel animo novum ritum inducendi, tunc enim eſſet mortale. Contemptum ſaperent, ſi perpetuo, vel ſæpius, & ut plurimum omitterentur.

X. Omnes rubricæ, ut tales, ſunt directivæ; quapropter illæ tantum cenſendæ ſunt præceptivæ, quæ continent aliquid, quod alias ex jure, ſeu legitima conſuetudine graviter obligat, vel quod ab ipſis rubricis expreſſe ſub mortali præcipitur v. g. *graviſſime*, ſeu *graviter peccat*; immo etiam quod obſervandum ſub mortali D. D. unanimi docent conſenſu; vel de-

demum quod ad ſacrificii, Sacramentorum &c. integritatem, & ſubſtantiam pertinet.

XI. Honor autem divinus, proximorum ædificatio, debita erga res reverentia, quæ quum ſanctæ ſint, ſanctè quoque tractandæ ſunt; quinimmo noſter in via Dei progreſſus, utilitas inde magna noſtra utique vehementer expoſtulant, ut omnes omnino rubricæ, etiam tantum directivæ, exactiſſime, & ad unguem ſerventur, ut veniente tandem Domino mereamur ab eo dulciſſima illa verba, vere omni conſolatione plena, audire: *euge ſerve bone, & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.* O ingens argumentum! O calcar urgens!

*Spes bona dat vires, animum quoque*
*ſpes bona firmat.*

# TITULUS SECUNDUS

## DE RITU SANCTISSIMAM EUCHARISTIAM FIDELIBUS ADMINISTRANDI.

### §. I.

*Intra Miſſam.*

I. POpuli communio facienda eſſet in Miſſa ſtatim, ac Sacerdos pretioſiſſimum Sanguinem ſumpſit, non autem in fine miſſæ, niſi forte multi eſſent communicaturi.

II. Sacerdos itaque, ſumpto Sacratiſſimo Sanguine, palla calicem cooperit, antequam vinum pro purificatione in eum infundat, & facta genuflexione, conſecratas particulas ponit in pyxide, niſi a principio fuerint in ea collocatæ, vel ſi pauci ſint communicaturi, ponit eas ſuper patenam.

III. Interim miniſter dicit flexis genibus *Confiteor &c.* poſtea extendit linteum ante communicandos; quæ confeſſio debet ab eodem fieri, capite verſus Sacerdotem in-

inclinato, ſupra infimum gradum a latere epiſtolæ, vel in plano, ſed nonniſi poſt Sacratiſſimi Sanguinis ſumptionem.

IV. Tum Celebrans iterum genuflectit, & junctis ante pectus manibus vertens ſe ad populum, ita tamen ne terga vertat Sacramento, in cornu evangelii dicit *Miſereatur veſtri &c.* etiamſi unus tantum ſit communicaturus, fortaſſe quia alii adſtantes ſpiritualiter communicantur. Cæterum ſemper dicendum eſt *Miſereatur veſtri* etiamſi in Eccleſia præſens ſit ille ſolus, qui communicatur *Biſſ. litera M* 178.

V. Ad verba *indulgentiam*, *abſolutionem &c.* dextera manu ſuper communicaturos crucis ſignum producit, ſiniſtra pectori admota; inde verſus ad altare genuflectit, accipit ſiniſtra manu pyxidem, ſeu patenam cum Sacramento, tenens inter digitos purificatorium ad abſtergendos digitos alterius manus, ſi forte inter communicandum madefiant; dextera vero unam ſumit particulam, quam inter pollicem, & indicem tenet aliquantulum elevatam ſuper patenam, ſeu pyxidem, ita tamen ut pyxidi, ſeu pate-

næ dextera adhæreat, & ad communicaturos converſus in medio altaris clara voce dicit, *Ecce Agnus Dei &c.* deinde ter *Domine non ſum dignus &c.* etiamſi mulieres tantum ſint communicaturæ: poſtea ad latus epiſtolæ accedit, & unicuique porrigit Sacramentum, faciens cum eo ſuper pyxidem crucis ſignum eo modo, quo ſe ipſum ſignat cum hoſtia in miſſa, ſimulque dicens *Corpus Domini noſtri &c.* In abſtergendis digitis, forte humefactis, caveat Sacerdos, ut ſi quod fragmentum digitis adhæreat, prius reponat in pyxidem, poſtea abſtergat purificatorio, quod debet eſſe diverſum ab eo, quo abſtergitur calix.

VI. Ad verba *Domine non ſum dignus*, nec Sacerdos, nec ipſi communionem ſumpturi, ſed unus tantum miniſter percutit pectus.

VII. Clerici ad gradus altaris genuflexi prius ſunt communicandi quam laici, quibus debent eſſe diſtincti, quemadmodum a fæminis viri.

VIII. Omnibus communicatis celebrans ad altare revertitur, digitos, quibus SS. Sacramentum tetigit, adhuc ſuper pa-

patenam tenens, at nihil dicit, nec dat communicatis benedictionem.

IX. Si particulæ erant ſuper corporale, cum patena illud extergit, & ſiquæ adſint fragmenta, indice demittit in calicem, in quo ſi poſt communionem populi reperiantur in fundo ſpecies Sanguinis unitæ, ſumit eas reverenter ante vini infuſionem, deinde ſumit vinum pro purificatione, dicens interim ſecreto *quod ore ſumpſimus Domine*, quæ oratio cadit etiam ſuper communicatos. Mox ſe purificat, ablutionem ſumit, miſſam abſolvit.

X. Particulas, quæ nequeunt decenter ſervari, celebrans ante purificationem conſumat; ſi vero communicaturi plures ſint, quam particulæ, eas dividat, & ex una duas faciat: quinimmo, urgente neceſſitate, celebrans poteſt hoſtiæ ſuæ parte alium communicare.

XI. Quamvis ad neceſſitatem conſumendi particulas conſecratas, quando Sacramentum eſt renovandum, ſeu propter ſimilem neceſſitatem, licitum, immo pium ſit, plures ſumere particulas, attamen ex induſtria cum plurimis communicare

par-

particulis eſt illicitum, tum quia eſt contra univerſalem Eccleſiæ praxim, tum ob periculum vel ſuperſtionis, vel erroneæ opinionis de Sacramenti veritate, quaſi tanto major ſit illius virtus, quanto plures ſunt panis, ac vini ſpecies. Valde itaque forent reprehendendi qui id concederent præſertim mulieribus, ac ignorantibus.

XII. Præter Eccleſiæ conſuetudinem pariter eſt, hoſtiam jam expoſitam v. g. in oratione 40. horarum dividere in partes, eamque laicis pro communione diſtribuere. Ea igitur in alia miſſa eſt a Sacerdote ſumenda.

XIII. Hic autem notandum, quod quando Sacerdos debet alterius ſacrificii aliquid conſumere v. g. hoſtiam in 40. horarum oratione expoſitam, quamvis ipſemet eam in alia miſſa conſecraverit, minime debet cum præſentis ſacrificii hoſtia illam ſumere, quum non ſit ejuſdem ſacrificii pars, ſed poſt ſacratiſſimi Sanguinis ſumptionem: eoque magis ſi reperiatur particula, ſeu magnum fragmentum (parva enim in calicem mittuntur) de quo dubitatur, an ſit conſecratum, ne

for-

forte Sanguis a non jejuno ſumatur.

XIV. Apud Latinos particulæ orbicularem, ſeu rotundam figuram habent, triangularem vero apud Græcos. Rotunda figura ſignificat illum, qui principio caret, & fine, quamvis ipſe *α*, & *ω* principium & finis *Apocal.* 1. 8. quumque rotunda figura a puncto formetur ad punctum, innuitur inde, quod ab ipſo ſunt omnia, & ad ipſum omnia retorquentur. Formantur etiam particulæ in modum denarii, tum quia Panis vitæ pro denariis traditus eſt *Matt.* 26. 16. tum quia denarius idem in vinea laborantibus in præmium dandus eſt.

XV. Si interdum contingat ſtatim abſoluta miſſa aliquos communicare, tunc Sacerdos adhuc indutus planeta ſacram communionem modo ſuperius dicto miniſtrabit, poſtquam vero populum communicaverit, addat ea, quæ infra dicentur ſervanda in fine communionis extra miſſam.

XVI. Si inter communicandum particula, ſive fragmentum cadat in terram, ſuper lignum, ſeu quid ſimile ſolidum, reverenter accipiatur, locus vero abradatur, pulvis, & abraſio in ſacrarium proii-

cia-

ciatur. Quodſi ceciderit ſuper mappam, vel quodcumque laneum, lineum, ſericum, diligenter lavetur, lotio vero in ſacrarium mittatur. Hæc autem lotio decentius quidem fit a Sacerdote, de rigore tamen poteſt etiam a clerico fieri, *Tonell. lib. 2. tit. 10. rubr. 6. n. 6.* ſi vero ſuper barbam, ſeu manum communicantis cadat, tunc ipſe lavare per ſe debet, & lotio in ſacrarium proiici. Quodſi nequeat hujusmodi lotio fieri ſine perturbatione, poterit omitti; ſiquidem quum lavandi obligatio non ſit ſub mortali, poſſunt talia concurrere motiva, quæ ipſummet veniale excludant.

XVII. Si fragmentnm cadere a ſolo Sacerdote videatur, ſitque tam parvum, ut non ſperetur inveniendum, ſed potius timeatur turbatio; tunc Sacerdos nihil dicat, ſed totum Deo, ac SS. Angelis commendans in miniſterio ſuo proſequatur; id enim hic & nunc exigit reverentia, & ſacer cultus, ac ſatius eſt fidelium turbationem vitare, quam rubricarum apicem ſcrupuloſius obſervare.

XVIII. Si cadat in ſinum mulieris aliqua particula, ab ipſamet muliere, vel

alia

alia modeſte extrahenda eſt, nullatenus a Sacerdote; horret enim vel tantum cogitare. Quodſi mulier, dum domi eſt, id advertat, tunc ſi jejuna, & in ſtatu gratiæ ſit, particulam ſine ſcrupulo ſumat; ſecus autem reverenter illam ſecreto cuſtodiat, ac deinde curet, ad Eccleſiam per aliquem Sacerdotem clam deferri.

XIX. Si dum moniales communionem ſuſcipiunt, ſubitaneus ventus particulas e ſacra pyxide raptas per oſtiolum intus cappellam interiorem ſpargat, Sacerdos, animo ſibi dato, pyxidem claudat, ſtatimque curet, ut particulæ ab ipſis ſacris Virginibus etiam propriis digitis accipiantur, & intra pyxidem reponantur, vel propria ſumantur lingua ab iis, quæ ſunt communicaturæ. Quo facto ſignetur locus, ne pedibus conteratur, & communione completa, ab iisdem monialibus abradatur pavimentum, ſpongiisque lavetur, ſicuti etiam laventur digiti in vaſe aliquo mundo, ſi forte SS. tetigerint, abraſio vero, ac lotio in ſacrarium proiiciatur. Hoc autem decentius ab Abbatiſſa, quam ab alia moniali præſtabitur.

XX. In

XX. In Miſſa non datur communicatis benedictio, quum danda ſit in fine miſſæ; verum ſi communicentur in fine miſſæ, tunc danda eſt benedictio; immo etiam in principio ante miſſam, quia forte non ſunt ii miſſam audituri.

XXI. Moniales poſt ipſarum communionem ſola benedicuntur manu, dicendo *Benedictio Dei omnipotentis &c.* ut benedicuntur cæteri ad altare. Nec, ut opinati ſunt aliqui, dedecet præſente benedictionis Auctore Sacerdotem ſola manu benedicere, alioquin id fieri ad *indulgentiam*, *abſolutionem &c.* rubrica nequaquam præciperet. Unde Epiſcopus etiam præſente SS. Sacramento feria V. in Cena Domini ſolemniter populum manu benedicit.

XXII. Ulterius hìc adverte, quod male ſe gerunt moniales communicaturæ dicendo intus *Domine non ſum dignus*, Sacerdote tacente; eſt enim id expreſſe contra rubricam miſſalis præcipientem, ut ea verba a Sacerdote dicantur. *Biſſus lit. D* 209.

XXIII. In defunctorum miſſis numquam datur benedictio; poteſt tamen intra miſſam defunctorum licite admini-

ſtra-

ſtrari fidelibus Sanctiſſimam Euchariſtiam, tam ex particulis in eadem miſſa conſecratis, quam ex aliis præconſecratis in alia miſſa, & in tabernaculo aſſervatis. Verum ante, & poſt miſſam defunctorum abſtinendum eſt ab adminiſtranda communione Fidelibus, quia extra miſſam in paramentis nigris numquam eſt Sanctiſſima Euchariſtia diſtribuenda.

XXIV. Monendi ſunt autem a Parochis communicantes, ut ſumpto Sacramento non ſolum, non ſtatim ab Eccleſia diſcedant, colloquantur, vagis circumſpiciant oculis, aut expuant, verum etiam ne de libro ſtatim orationes recitent, ſed in proprii cordis cubiculum ingreſſi, ibi clauſu ſenſibus oſtio, qua par eſt devotione, aliquantiſper in oratione taciti permaneant, corde, & animo gratias agentes Deo de tam ſingulari beneficio, atque etiam de SS. Paſſione Dominica, in cujus memoria hoc myſterium celebratur, & ſumitur.

§. II.

## §. II.

*Pyxidis purificatio.*

I. PYxis purificanda eſt intra miſſam ante purificationem calicis, itaut quantum fieri poteſt, a jejuno fragmenta ſumantur.

II. Colligenda itaque ſunt diligentiſſime omnia fragmenta in pyxidis fundo cum indice dexteræ manus, eodemque omnia prorſus in calicem demittenda, itaut nullum prorſus remaneat fragmentum. Poſtea parum vini in pyxidem infundatur, cujus interior pars vino cum indice abſtergatur, vinumque circumactum e pyxide in calicem mittatur, & ex calice hauriatur. Inde digiti cum vino, & aqua ſuper pyxidem abluantur, ablutio in calicem infundatur, & e calice ſumatur. Mox purificatorio pyxis exſiccetur.

III. Dum Sanctiſſimam continet Euchariſtiam lethale eſt, non a laicis tantum, ſed & a clericis diacono inferioribus pyxidem tangi; poſtquam vero pu-

rificata ſit, poteſt ab ipſiſmet laicis contrectari.

IV. Non eſt neceſſario benedicenda. Nec obſtat, quod aſſignetur propria pyxidis benedictio; id enim non neceſſitatem, ſed congruentiam deſignat. Si vero ob majorem decentiam benedicatur, non poteſt niſi ab habente poteſtatem benedici: quod & in ſimilibus eſt obſervandum.

V. Quamvis in jure nulla pro pyxide, & oſtenſorio inveniatur determinata materia; adeoque ſufficiat, ſi ex ſolida decentique materia conficiatur; nihilominus conſultiſſimum eſt, hæc ex auro, vel argento, aliave pretioſa materia conflari, vel ſaltem, ſi ex alia inferiori materia fiant, auro, vel argento liniantur. Pyxis operculo ſuo ſit bene clauſa, altoque velo cooperta.

VI. Ex ebore fieri pyxidem vetuit *S. R. C.* 26. *Jul.* 1588.

## §. III.

*Communio extra Miſſam.*

I. QUando SS. Euchariſtia miniſtratur extra miſſam, Sacerdos, lotis prius in ſacriſtia manibus, ſuperpelliceo indutus, ac deſuper ſtola, coloris officio illius diei convenientis, præcedente clerico, vel alio miniſtro, procedit operto calice præferens ante pectus burſam corporalium, ſi forte ea non fuerint prius in altari explicata, tunc enim junctis ante pectus manibus ad altare procedit; ibi detecto capite genuflexus ſuper oram ſuppedanei, orat aliquantulum, ac ſtatim ſurgens aſcendit ad medium altaris, extendit corporale, & cereis a miniſtro accenſis, aperit oſtiolum tabernaculi, genuflectit, extrahit pyxidem, quam ſuper corporale depoſitam diſcooperit, & iterum genuflectit: miniſter vero interim extendit ante communicaturos linteum, ſeu velum album, & omnia fiunt, ut dictum eſt de communione intra miſſam.

II. Ubi

II. Ubi omnes communicaverint, Sacerdos ad altare reverſus dicit antiphonam *o ſacrum convivium*, *&* ℣. *panem de cælo*, miniſtro reſpondente *omne delectamentum &c.*; mox *Domine exaudi*, & omiſſo Dominus vobiſcum, *Oremus Deus qui nobis &c.* cujus loco tempore paſchali dicitur oratio *Spiritum nobis Domine &c.*. Antiphonæ, & ℣. *panem* tempore paſchali, & per totam octavam SS. Corporis Domini additur *alleluja*. Sunt autem qui putant, prædictas preces ad altare junctis manibus eſſe dicendas, antequam pyxis operculo cooperiatur.

III. Dixi *omiſſo Dominus vobiſcum*, licet enim in Rituali Romano dictus ℣. apponatur, hodie tamen non videtur dicendus, quemadmodum non obſtante quod in prædicto Rituali præſcribatur dicendus ante orationem *Deus qui nobis* pro SS. Sacramenti depoſitione, nihilominus delendum ſtatuit S. R. C. uti conſtat ex Inſtructione Clementis XI. 30. *Januar.* 1705. §. 21. quam vide in *Synod. Piſtorien. an.* 1721. *pag.* 154.

IV. Item nota quod etiamſi in Rituali dicatur, antiphonam *O ſacrum* recitan-

dam eſſe a Sacerdote poſtquam fuerit ad altare reverſus, praxis tamen habet apud plurimos viros non minus doctos, quam pios, ut recitetur a Sacerdote dum ad altare Sacramentum reportat. Cæterum Rituale videtur potius conſulere, quam præcipere prædictæ antiphonæ recitationem, ait enim *dicere poterit*.

V. Sacerdos igitur ad altare reverſus pyxidem ſuper corporale, ſeu pallam collocat, genuflectit, ſurgit, & ſi quid fragmenti digitis adhæreat, illud in pyxidem dimittit, quod eſt diligenter advertendum; mox pyxidem operculo velo albo tecto cooperit, digitos in vaſe mundo ad id parato abluit, ac purificatorio abſtergit; iterum genuflectit, pyxidem in tabernaculo reponit, tetro genuflectit, inde clave tabernaculum obſerat, & verſus ad populum, ſtans in medio altaris, extenſa manu dextera ſemel benedicit iis, qui communicarunt, ſiniſtra pectori admota, dicens *Benedictio Dei omnipotentis &c.* Hujuſmodi autem benedictio ſic danda eſt. Sacerdos adhuc verſus ad altare elevans oculos ad Crucem, & extendens ac jungens manus, caput-

que

que Cruci parum inclinans dicit alta voce *Benedictio Dei omnipotentis*, poſtea junctis manibus convertens ſe ad communicatos benedicit manu dextera, ſiniſtra pectori admota, dicens *Patris & Filii &c.* cui miniſter genuflexus reſpondet, *Amen*. Mox plicat corporale, illud reponens in burſa, deſcendit, genuflectit, caput cooperit, & modo, quo venerat in ſacriſtiam revertitur. Ablutio digitorum ſuo tempore in ſacrarium projiciatur.

VI. Miniſtrans extra Miſſam, ut etiam per modum Viatici, SS. Euchariſtiam in ſtatu peccati mortalis non peccat mortaliter, non enim Sacramentum conficit, nec eſt Dei miniſter ad juſtificationem proxime, ſed tantum, ut ajunt, velut applicans activa paſſivis.

VII. Excommunicatus vitandus SS. Euchariſtiam ab alio Sacerdote præconſacratam diſpenſans, fit irregularis, quum ſacrum, & proprium ratione ordinis ſui miniſterium exerceat; non vitandus autem, ſi diſtribuat a fidelibus requiſitus, non fit irregularis, bene vero ſi irrequiſitus diſtribuat.

VIII. Si quis ob aliquod ſuperveniens

pedimentum v. g. vulnus, chiragram, ſeu quid ſimile, nequeat pollice, & indice, qui canonici vocantur digiti, miniſtrare, licite aliis digitis SS. Euchariſtiam diſtribuit, dummodo non adſit periculum ſacram hoſtiam labendi; tota enim ſacerdotalis manus eſt conſecrata.

IX. Ad hæc Sacerdos podagra laborans poteſt ad altare deferri, ut SS. miniſtret Euchariſtiam, niſi aliquod adſit irreverentiæ periculum.

X. Aliqua urgente neceſſitate SS. Euchariſtiam miniſtrans decenti habitu clericali, ſeu religioſo indutus, ac ſola ſtola ornatus, aut cum ſolo ſuperpelliceo, vel alba ſola, docent DD. quod non ſit condemnandus, quia dum debita ſervatur decentia, aliæ veſtes in SS. Euchariſtia diſtribuenda ( ſecus in celebrando ) non ſunt tanti momenti; adſtantium vero ſcandalum, ſi quod forte timeatur, facile removeri poteſt, eos de veritate inſtruendo.

XI. Sic dum exſtra miſſam SS. Euchariſtia diſtribuitur, alias omittere cæremonias v. g. luminis accenſi, generalis confeſſionis, & abſolutionis &c. præ-

ciſo

ciſo contemptu, reputatur veniale, ac in neceſſitate nullum peccatum.

XII. Noſter autem Parochus caveat, ne SS. Euchariſtiam umquam adminiſtret, non ſervato ritu, ac decentia tanto debita Sacramento; quum enim ſacramentum hoc maximæ ſit dignitatis, æquum profecto eſt, ut non niſi cum maxima reverentia, ac veneratione miniſtretur ex *Cap. ſane de celebr. Miſs.*

XIII. Licet quacumque diei hora poſſit laicus jejunus communicare, non eſt tamen id, ſecluſa aliqua ſpeciali cauſa, permittendum ſub veſperam, vel intempeſta nocte, quum ſacramenti reverentiam hoc non deceat, & ſcandali occaſionem non effugiat. Hinc in ipſomet Dominicæ Nativitatis pervigilio adminiſtrari populo SS. Euchariſtiam vetuit S. R. C. 7. *Septemb.* 1641. & 20. *April.* 1664.

XIV. Cæterum nullum adeſſe ſcandalum, miniſtrare SS. Euchariſtiam uſque ad horam canendi veſperas, & cum cauſa poſſe ultra dictum tempus communionem protrahi, v. g. quando populus in aliqua ſolemnitate non poteſt

præ multitudine citius expediri, docet *Tonell. lib.* 1. *cap.* 2. *ſ.* 1. *num.* 21.

XV. Ita pariter, quamvis de ſe licitum videatur quacumque anni die SS. Euchariſtiam ſumere, nihilominus prohibetur id in Fer. VI. Paraſceves, in qua ſolis infirmis poteſt Euchariſtiæ Sacramentum adminiſtrari, S. R. C. 19. *Februar.* 1622. quod locum habet etiam in ſabbato ſancto, ut infra dicetur; quo die nullus, excepto ſolo Celebrante, debet in miſſa communicare. Dixi *in Miſſa*, nam ſi quis pro ſatisfaciendo annuæ communionis præcepto velit in parochiali Eccleſia communicare in ſabbato ſancto, id faciat completa miſſa, non tamen ad altare majus, ſed ad ſeparatam cappellam ex *Bauldry part.* 4. *cap.* 11. *art.* 5. *num.* 15. *Biſſ. lit. P.* 177.

## §. IV.

### *Communio per modum Viatici.*

I. AD dandum Viaticum licite poteſt ſtatim a media nocte celebrari, ſicut etiam poſt tertiam horam a me-

a meridie. Nullatenus autem licet extra ſacrificium, particulam conſecrari, ut infirmus communicetur; immo nec poſt incæptum canonem poſſunt admitti particulæ, ut ad hunc effectum conſecrentur, tunc enim ſatius eſt, majoris hoſtiæ partem infirmo deferendam ſervare.

II. Quamvis latini Sacerdotes per Eccleſiam græcam, græci vero per latinam iter agentes ſemper melius ſit, ut proprium ritum ſervent etiam in aliena eccleſia: immo, ſi ibi ſit proprii ritus eccleſia, videantur omnino teneri in ea celebrare; laici tamen iter facientes æque poterunt, latini in eccleſia græca communicare in fermentato, græci vero in eccleſia latina in azymo, etiamſi ibi reperiantur proprii ritus eccleſiæ: quinimmo ad ſatisfaciendum viatici, & paſchalis communionis præcepto, tenebitur omnino latinus in fermentato, græcus in azymo communicare, ſi ſit in loco, ubi nequeat juxta proprium ritum communicare; ſed nec etiam ad dandum viaticum poterit in eccleſia propria latinus in fermentato, græcus in azymo conſecra-

crare, licet infirmus nullum aliud poſſet ſacramentum recipere. *Cap. final. de celebr. Miſſar. Tonell. lib. 2. tit. 7. rubr. 3. in fin.*

III. Si confeſſarii copia deſit, Parochus ad dandum viaticum poterit, non præmiſſa confeſſione, tantum contritus celebrare, ſed tenetur quamprimum confiteri. Quando dicatur confeſſarii copia deeſſe, & quid importet illud *quamprimum*, faſe dictum eſt in noſtra *Solicitud. Paſtoral. part. 2. tit. 4. §. 1. per tot.* Non poteſt tamen bis eadem die, vel non jejunus, aut ſine ſtola ad dandum viaticum celebrare.

IV. Parochus tempore interdicti localis poteſt, immo debet morte proximis, quoties opus fuerit, ac expedierit, SS. Euchariſtiam more ſolito deferre, & in reditu ad eccleſiam omnia facere, quæ de more fiunt.

V. Infirmo longe diſtanti non poteſt etiam ruri SS. Viaticum ſuper equum deferri, niſi loci conſuetudo id permittat, & equus ſit manſuetus, quia viatici præceptum obligat, quum Sacramentum decenter confici, ſervari, & deferri poteſt.

VI. Hinc

VI. Hinc non tenetur Parochus SS. Viaticum deferre ad proxime moriturum, ſi timeat fore, ut nequeat illud adminiſtrare, niſi valde feſtinus currat, nimis enim feſtinus curſus videtur debitæ tanto Sacramento reverentiæ, ſimulque decentiæ, ac honeſtati clericali repugnans: ſecus dicendum de baptiſmo, ac pænitentia, quoties probabiliter timeatur fore, ut pænitens decedat in mortali, niſi feſtinanter currat, tunc enim tenetur Parochus etiam feſtinanter currere, quamvis nondum integre veſtitus, aut pluvia immineat, aut frigus acriter ſæviat, aut ipſemet fatuus judicetur. Ratio eſt, quia in extrema neceſſitate ſpirituali, quilibet non famam tantum, ſed & vitam prodigere ad ſalvandum proximum obligatur; ſecluſa vero tanta proximi neceſſitate cenſetur Parochus ſufficienter muneri ſuo ſatisfeciſſe, ſi quamprimum curet infirmum adire feſtinando, non currendo.

VII. Viaticum ſacratiſs. Corporis D. N. J. C. ſummo ſtudio, ac diligentia ægrotantibus opportuno tempore procurandum eſt, ne forte contingat, eos tanto

to bono, Parochi incuria, privatos decedere. Ipſum autem Viatici nomen aperte demonſtrat, illud eſſe miniſtrandum, quando probabile eſt, ut ſacra communio ſumi amplius non poſſit. Si tamen æger, ſumpto viatico, dies aliquos vixerit, ſeu mortis evaſerit periculum, & communicare ipſe voluerit, pro illius deſiderio Parochus non deerit eo modo, quo dictum eſt in noſtra *Solicitud. Paſtoral. part.* 3. *tit.* 3. *ſect.* 2. §. 13.

VIII. Deferri debet ab Eccleſia ad privatas ægrotantium ædes habitu decenti cum ſuperpelliceo, & ſtola albi coloris, & velo humerali albo, manifeſte, ac honorifice ante pectus, lumine ſemper præcedente.

IX. Præmonendi ſunt infirmorum domeſtici, ut eorum cubiculum mundetur, & in eo paretur menſa linteo mundo cooperta, in qua Sanctiſsimum decenter deponatur juxta præſcriptum Illuſtriſs. D. Viſdomini Cortigiani 4. *Jun.* 1707. *in noſtra Synod. an.* 1721. *pag.* 151.

X. Parentur luminaria, ac unum ſaltem vaſculum cum aqua ad digitos Sacerdotis purificandos; item linteum mundum

dum ante pectus infirmi, aliaque ad loci ornatum pro cujuſcumque facultate.

XI. Antequam ad infirmum communicandum Parochus procedat, ſi tempus ſuppetat, omnino curet, ut ſit rite diſpoſitus, & confeſſus; tum aliquot campanæ ictibus jubeat convocari, ſi adſit, SS. Sacramenti ſocietatem, vel alios fideles, qui ſacram Euchariſtiam cum cereis comitentur, & umbellam, ſeu baldachinum deferant. In promptu ſit vas aquæ benedictæ cum aſperſorio, burſa cum corporali, ac Rituale Romanum.

XII. Ubi convenerint qui ſunt SS. Euchariſtiam comitaturi, Sacerdos decenter, ut ſupra, indutus accedit ad altare, & aperto tabernaculo genuflectit, deinde pyxidem accipit, aut ſi longius, vel difficilius iter ſit faciendum, unam tantum ex pyxide particulam in parva argentea cuſtodia intus deaurata, quam, ſeu pyxidem ſuper corporale operculo coopertam collocat, genuflectit, ac per latus Evangelii deſcendit in medium ante altare, ubi genuflectit, ſtatim ſurgit, imponit in thuribulo incenſum, nihil dicens, & abſque benedictione: poſtea genuflexus

xus ter Sanctiſſimum thurificat, mox intonat *Pange lingua &c.* ſumit velum oblongum, aſcendit ad altare, accipit utraque manu vas cum SS. Sacramento, cum quo deſcendens, umbellam, ſeu baldachinum ſubit nudo capite proceſſurus; pyxidem autem velo oblongo coopertam tenet ante pectus, omnique defert reverentia, ac timore.

XIII. Poſt vexillum præcedat ſemper miniſter laternam deferens, ſequantur confratres, ſeu viri intorticia deferentes, ſuccedat alter miniſter campanulam jugiter pulſans, deinde Sacerdos Sacramentum geſtans elevatum ante pectus ſub umbella, pſalmos, & cantica, ſeu B. M. V. roſarium alternatim cum miniſtris, ſeu populo devote recitans.

XIV. Si longius, aut difficilius iter ſit obeundum, & forte etiam equitandum, neceſſe erit vas, in quo Sacramentum defertur, burſa decenter ornata, & ad collum appenſa apte includere, & ita ad pectus alligare, ac obſtringere, ut neque decidere, neque e pyxide excuti Sacramentum queat.

XV. SS. Euchariſtiam ad infirmos, aut in

in proceſſione abſque debita licentia, niſi aliter neceſſitas urgeat, tecto capite deferre, mortale eſt. Verum poſſe hujuſmodi licentiam concedere Epiſcopum, etiamſi facilis adſit ad SS. Pontificem recurſus, docet *Tonell. lib.* 1. *cap.* 1. §. 2. *ſect.* 1. *num.* 6.

XVI. Ubi Parochus ad infirmi domum pervenerit, ſi una tantum delata ſit particula, ſiſtit in exteriori domus janua, donec conveniant omnes, qui Sanctiſſimum ſunt comitati; quibus omnibus genuflexis annuntiat indulgentias a SS. Pontificibus ob id conceſſas, nimirum iis, qui SS. Viaticum cum lumine comitantur, ſeptem annos, ac totidem quadragenas; iis qui ſine lumine quinque annos, & totidem quadragenas; legitime impeditis, ſiquem miſerint cum lumine, tres annos, ac totidem quadragenas; aliis vero impeditis, maxime mulieribus, centum dies, cum onere tamen recitandi pro infirmo unum *Pater*, & *Ave*. Poſtea Sacerdos cum Sanctiſſimo eos benedicit, nihil dicens, ac dimittit. Si vero Sanctiſſimum ſit ad Eccleſiam reportandum, Sacerdos recta via petit infirmi cubi-

biculum, in cujus ingreſſu dicit *Pax huic domui*, miniſter vero ſubdit, *& omnibus habitantibus in ea*.

XVII. Hic omnino advertendum, ut domum, maxime vero infirmi cubiculum, ii tantum ingrediantur cum Sacerdote, qui ſunt ad hanc functionem neceſſarii; reliquus vulgus dimittatur, aut, ſi ad eccleſiam ſit redeundum, ad fores exterioris januæ domus expectet, ibique genuflexus B. M. V. litanias devote pro infirmo recitet.

XVIII. Poſt verba *Pax huic domui* Parochus depoſitum ſuper menſa Sacramentum, ſuppoſito corporali, genuflexus adorat, omnibus in genua procumbentibus; mox ſurgit, & accepta aqua benedicta aſpergit infirmum, & cubiculum dicens antiphonam *Aſperges me &c.* cum ℣. *Miſerere*, *Gloria Patri*, *Sicut erat &c.* deinde repetit *Aſperges me Domine &c.* poſtea dicit *Adjutorium &c.* cum oratione *Exaudi nos*, quam ſtans dicit.

XIX. Dicta oratione Sacerdos ad infirmum accedit, ut iterum eum ad ſuſcipiendum SS. Viaticum diſponat, videatque num aliquid ei occurrat in confeſ-

feſſione manifeſtandum. Poſtea facta de more generali confeſſione ſive ab infirmo, ſive ejus nomine ab alio, Parochus dicit *Miſereatur veſtri*, non tui ob rationem ſuperius allatam, deinde *Indulgentiam &c.*

XX. Mox facta genuflexione accipit e vaſculo more ſolito Sacramentum, illudque elevans quaſi oſtendens infirmo dicit *Ecce agnus Dei*, terque *Domine non ſum dignus*, quæ verba ſaltem ſemel, ſubmiſſa voce infirmus una cum Sacerdote profert; tum Parochus præbens infirmo SS. Euchariſtiam dicit *Accipe frater*, aut *Soror Viaticum &c.*

XXI. Non eſt neceſſarium dicere verba, *Accipe Viaticum*, immo aliquando expedire ea omittere, dicendo tantum conſueta verba *Corpus Domini N. J. C.* v. g. ſi infirmus minus devote, & cum animi mœrore non parvo eſſet communionem per modum viatici recepturus, docet *Tonell. lib.* 1. *cap.* 1. *§.* 12. *ſect.* 1. *num.* 2. ratio eſt, quia ad ſatisfaciendum viatici præcepto, ſat eſt SS. Euchariſtiam recipere, ac morbum eſſe pericoloſum, nec requiritur intentio ſatisfaciendi præ-

cepto, quum finis præcepti non cadat ſub præcepto.

XXII. Si mors immineat, tunc dicto *Miſereatur veſtri &c.*, prædictis precibus, aut omnibus, aut ex parte omiſſis, infirmo ſtatim viaticum præbeatur.

XXIII. Fragmenta, quæ infirmi communioni forte ſupereſſent v. g. in parva cuſtodia, quando una tantum particula delata eſt, ipſi infirmo Parochus tradat, ſicuti tradenda illi pariter eſt aqua, in qua digitos ſuos poſt communionem Parochus abluit.

XXIV. Tum dicatur *Dominus vobiſcum, Oremus Domine Sancte &c.* quæ oratio ſtando dicitur.

XXV. His expletis Parochus, maxime ruralis, omni ſtudio, & conatu invigilet, ut prorſus eliminetur abuſus ille, quo ſtatim a communione ſolent aſtantes inviſere, alloqui, vexare infirmum; unde fit, ut ipſe nequeat in ſuſcepti Sacramenti contemplatione quieſcere, debitas Deo gratias agere, eique, ut par eſt, animam ſuam devote commendare.

XXVI. Si in pyxide ſuperfuerit Sacramentum ad Eccleſiam reportandum, Pa-

ro-

rochus poſt orationem *Domine ſancte &c.* genuflectit, ſurgit, & accipiens vas cum Sacramento, facit cum eo ſignum Crucis ſuper infirmum, nihil dicens, & reverenter illud ut in acceſſu deferens, quo venerat ordine ad Eccleſiam revertitur, dicendo pſalmum *Laudate Dominum de cœlis*, alioſque pſalmos, ac pias preces, prout tempus, & comitantium conditio feret.

XXVII. Quum ventum fuerit ad Eccleſiam, Parochus in medio altaris Sacramentum ſuper corporale collocat, mox genuflectit, deſcendit, adorat. Deinde ſtans ponit in thuribulo incenſum abſque benedictione, ſtatim genuflectit, Sacramentum ter de more thurificat, ac dicit ℣. *Panem de cœlo* cum oratione *Deus qui nobis*, cui minime præmittit *Dominus vobiſcum*.

XXVIII. Poſtea aſcendit ad medium altaris, ubi facta genuflexione ſurgit, & verſus ad populum ſtans in cornu Evangelii annuntiat, ut ſupra, indulgentias.

XXIX. Poſtea verſus ad altare genuflectit, ſurgit, utraque manu accipit Sacramentum, & pyxide velo cooperta facit

cit ſignum Crucis ſuper populum nihil dicens. Poſtremo Sacramentum more ſolito in loco ſuo reponit.

XXX. Quodſi ob difficultatem, ſeu longitudinem itineris, vel quia ea, qua decet, veneratione Sacramentum commode reportari ad eccleſiam non valeat, ſumpta una tantum fuerit particula conſecrata, tunc Parochus dicto *Dominus vobiſcum*, & oratione *Domine Sancte*, manu benedicit infirmum, & una cum aliis habitu privato, luminibus extinctis, umbella demiſſa, latente pyxide ad eccleſiam revertitur.

XXXI. Ultra præſcripta a Rituali Romano exſtat præterea nobilis inſtructio pro deferendo SS. Viatico ſub Innocentio XII. typis impreſſa.

XXXII. Communio paſchalis, & in fine vitæ nonniſi a Parochis, & Prælatis, aut ab iis delegatis adminiſtrari licet; extra paſchalem tamen communionem, & extra SS. Viaticum quilibet Sacerdos voluntariam communionem adminiſtrare licite poteſt, atque adeo poteſt ab omnibus ſuſcipi ubicumque miſſa celebretur. Ubi obiter nota, quod licite eri-

gi-

Digitized by Google

gitur abſque licentia mobile ligneum altare, ut ibi poſita prius ara ſacra celebretur, velut in feſto alicujus ſancti, cujus imago ſit in interiori eccleſiæ pariete depicta; immo Barboſa referens S. C. decretum *in Cajetana* 19. *Novemb.* 1612. opinatur, ne ab ipſis quidem ſynodalibus conſtitutionibus poſſe huic facultati derogari.

XXXIII. Alia plurima huc ſpectantia vide in noſtra *Solicitud. Paſtoral. dict. part.* 3. loco ſuperius citato.

# TITULUS TERTIUS

## DE BENEDICTIONIBUS.

### §. I.

*Notabilia.*

I. BEnedictio hic ſumitur pro prece, qua eccleſiaſtico more rebus ipſis ſpecialis ſanctitas impertitur.

II. Preces ſuper perſonis, aliiſque ſenſibilibus rebus ſolitæ a ſacris miniſtris pronuntiari, quum fiant nomine Eccleſiæ, quæ grata ſemper, & accepta eſt Deo, tanti ſunt ponderis, ut pro certo habendum ſit, hujuſmodi eccleſiæ benedictionibus, ac rebus benedictis magnam ineſſe vim, ad conciliandum hominibus per Dei miſericordiam bonos divinæ gratiæ motus, quibus a culpis mundentur, augeantur virtutibus, & a corporalibus cuſtodiantur, vel eripiantur periculis, quemadmodum Deo viſum fuerit pro loco, & tempore expedire.

III. Rite ac ſancte benedici aquam, ole-

Digitized by Google

oleum, panes, cereos, ramos, & ſimilia probatur ex ſcriptura, quæ exemplum continet, ac documentum. Exemplum adeſt Domini *Matth.* 14. 19. *Luc.* 9. 16. qui panes multiplicaturus, aſpiciens in cœlum *benedixit illis*. Documentum eſt *Pauli* 1. *ad Timot.* 4. 4. *omnis creatura Dei bona eſt, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur; ſanctificatur enim per verbum Dei, & orationem.*

IV. Utimur autem recte aqua, oleo, aliiſque rebus benectione dicatis, quum ob tres fines hæc omnia in S. Eccleſia benedicantur. Primo ad ſignificandos ſpirituales effectus, cineris enim aſperſio ſignificat pœnitentiam, palmæ victoriam: cereus paſchalis gloriam reſurrectionis. Secundo ad eosdem effectus efficiendos, ad delendum nimirum venialia peccata, quum his utamur, ac recipiantur cum aliqua peccatorum deteſtatione, pioque motu in Deum, ac res ſacras. Tertio ad fugandos dæmones, morboſque pellendos, ut ex precibus, & orationibus, quibus benedicuntur, liquido patet. Hujuſmodi tamen res non operantur in-

fallibiliter, uti ſacramenta, ſed ex precibus eccleſiæ, ac fidelium devotione, tum etiam quia aliquando non expedit nobis, ut liberemur vel a morbo, vel a vexatione præſenti, ut late probat *Bellarmin. de cultu Sanctor. lib. 3. cap. 7.*

V. Origo benedictionum, quæ fiunt per verba Sacerdotis, addito Crucis ſigno, procul dubio ab Apoſtolis omnino promanat.

VI. Benedictiones aliæ quidem ſunt conſtitutivæ, aliæ vero invocativæ. Conſtitutivæ dicuntur illæ, per quas ſive res, ſive perſonæ divino cultui deſtinantur; invocativæ per quas a Deo vel rebus, vel perſonis divinum imploratur auxilium. Primi generis ſunt benedictiones veſtium ſacerdotalium, quæ poſſunt ex privilegio delegari etiam ſimplici Sacerdoti. Secundi generis ſunt benedictiones agni in Paſchate, ovorum, panis, novorum fructuum, cujuſcumque commextibilis, candelarum, ſeminum bombycum, loci, domus novæ, thalami, novæ navis, novæ Crucis, quæ a quocumque Sacerdote fieri poſſunt, ac fieri ſæpius

Digitized by Google

pius contingit *Can. dicimus de conſecr. dec.* 2. *Conc. Regien. Can.* 3.

VII. Benedictiones quæ in Eccleſiæ uſu non ſunt, minime fiant ex *Zachar. Epiſt.* 12.

VIII. Solemnis benedictio dari a Presbytero non poteſt *Conc. Agathen. Can.* 144. quare ſimplex Sacerdos benedicere populo non poteſt extra Miſſam, & Sacramentorum adminiſtrationem, vel aliam ſacram functionem, ubi præſcribitur a Rubricis, veluti quando recipiuntur ad profeſſionem novitiæ, quando a Parocho viſitantur infirmi, & alia hujuſmodi. Immo nec in miſſa datur a Sacerdote benedictio coram proprio Epiſcopo in diœceſi ſine ejus licentia, nec coram aliis Epiſcopo majoribus v. g. coram Cardinale ubique locorum, coram Patriarcha, & Archiepiſcopo in tota Provincia; coram Nuntio, & Legato Apoſtolico in ſuæ Legationis loco, quia benedictio danda eſt a majori, non a minori *Cap.* 3. *de conſuetud.*

IX. Signum Crucis ſuper populum duabus fit lineis, recta, & tranſverſa digitis dexteræ ſimul junctis leniter extenſis,

ſis, ac parvo digito aliquantulum inflexo, interim ſiniſtra infra pectus poſita. Prima linea ducitur a fronte ad pectus, manu nec prorſus recta, nec nimis jacente. Secunda linea tranſverſa ducitur pariter manu recta, palma illius aliquantulum Sacerdotis pectus reſpiciente.

X. Sed quid agendum in laicorum confraternitatibus, ubi adeſt inveterata conſuetudo, ut in fine congregationis Corrector, ſive proprius Cappellanus confratribus benedicat? Surgat, ait *Tonellius*, Corrector, ſive alius Sacerdos, & dicat: *Benedictio Dei omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper. Amen*, ſeipſum ſignans; ſic enim faciet populo ſatis, divinam ei benedictionem implorans, nec quicquam ſibi ultra jurisdictionem arrogabit. Et quidem in fine completorii hebdomadarius, ſi ſit ſimplex Sacerdos, etiam canonicus, dicit *Benedicat, & cuſtodiat nos &c.* ſignans tantum ſeipſum: Epiſcopus vero ſi completorio interſit, & faciat officium, dicit *Benedicat, & cuſtodiat vos &c.* populo benedicens.

XI. Ab Epiſcopis benedictio ſolemnis non

non tantum in Miſſa, matutinis, veſperis dari poteſt *Conc. Barcinon. cap.* 2. & quum populus ab eccleſia dimittitur, *Can. convenit de conſecr. dec.* 5. ſed etiam extra ſacras functiones tam privatim, quam publice, & per viam, in propria tamen diæceſi, nam extra ſuam diæceſim nec ipſis Epiſcopis conceditur, populo benedicere ne quidem privatim. In aliena tamen etiam diæceſi poſſunt abſque licentia benedicere corporalia, & quæcumque alia, quæ ſacram non exigunt unctionem, quum talis benedictio non ſit exercitium Pontificalium.

XII. Epiſcopus dum incedendo benedicit populo, non tenetur ſiniſtram infra pectus ponere, ſecus quando ſolemniter benedicit.

XIII. Ad Epiſcopi benedictionem omnes de choro genuflectunt, præter canonicos; ad benedictionem vero Sacerdotis tantummodo caput ab omnibus inclinatur. Uſus inclinationum eſt in eccleſia antiquiſſimus; ſignificat autem cultum, ac reverentiam erga illum, cui fit inclinatio.

XIV. Habens uſum mitræ, & inſi-

gnium Pontificalium, & nullius exiſtens diæceſis, immo habens jurisdictionem, & cognitionem omnium cauſarum, & jus viſitandi privative ad quemcumque Ordinarium, & qui in miſſis etiam privatis benedicit cum ℣. *Sit nomen Domini* inſtar Epiſcoporum, nihilominus extra celebrationis actum non poteſt populo benedicere S. R. C. 25. *Maii* 1624.

XV. Abbates non poſſunt ſubditis ſuis etiam privatim benedicere per viam, quum nullam ad id habeant jurisdictionem.

XVI. Benedictio lapidis primarii pro ædificanda Eccleſia, benedictio novæ eccleſiæ, vel oratorii publici, item & novi cæmeterii; quæmadmodum prædictorum reconciliatio poteſt ab Epiſcopo ſimplici Sacerdoti delegari. Sed abſque ſpeciali S. R. C. licentia non poteſt Epiſcopus ne ſuo quidem generali Vicario paramentorum benedictionem delegare. S. R. C. 14. *Novemb.* 1615. & alias ſæpiſſime.

XVII. De benedictione cum SS. Sacramento dicetur infra; de nonnullis aliis, veluti ſponſorum, puerperarum &c. bene-

nedictionibus vide ſuis in locis in noſtra *Solicitud. Paſtoral.*

XVIII. Benedici non poteſt aqua fervens, aut ferrum candens pro delictorum purgatione *Conc. Lateran.* 4. *Can.* 18.

XIX. Pro quacumque benedictione nihil ſolvendum, exigendum nihil *Conc. Londinen. prim. Can.* 8.

## §. II.

*Generales pro benedictionibus regulæ.*

I. NOverit Sacerdos, quarum rerum benedictiones ad ipſum pertineant, ne majoris dignitatis munera temere, vel imperite propria umquam uſurpet auctoritate, falcem ſuam mittens in alienam ſegetem.

II. In ſingulis benedictionibus Sacerdotis habitus extra miſſam erit ſuperpelliceum cum ſtola convenientis coloris; adhiberi tamen poteſt color pro temporis ratione, niſi aliter notetur.

III. Semper adſit miniſter cum vaſe aquæ benedictæ, aſpergillo, ac Rituali, ſeu Miſſali.

IV. Stando ſemper benedicat Sacerdos, & aperto omnino capite.

V. In cujuſcumque benedictionis principio dicat *Adjutorium noſtrum &c.* cui miniſter reſpondet *Qui fecit cœlum &c.* Tum *Dominus vobiſcum*, deinde junctis manibus orationem propriam, una ſeu plures, prout fuerit loco ſuo notatum.

VI. Ubi eſt nota ✠, dextera manu ſignum Crucis ſuper rem benedicendam formet, ac in fine rem ipſam ter aſpergat, nempe ſemel in medio illius, ſemel a dextris, & ſemel a ſiniſtris, & eodem ordine ter, ubi notatum fuerit, pariter incenſet, thure quidem de more benedicto, ſed nihil ſuper rem dicendo.

VII. Poterit res benedicenda etiam ſuper altare collocari, dummodo non ſit aliquid indecens, velut eſculenta, ſed quod hujuſmodi eſt ponatur ſuper menſam commodo loco paratam.

TI-

# TITULUS QUARTUS

## BENEDICTIO CANDELARUM IN B. M. V. PURIFICATIONE.

### §. I.

*Notabilia.*

I. GEntiles Romani vere per omnia ſuperſtitioſiores quinto quoque anno in honorem Martis genitricis Kalendis Februarii, unde forte ei Februæ nomen, cereis, facibuſque tota nocte accenſis urbem illuſtrabant, ut a filio bellorum numine ſibi victoriam de hoſtibus impetrarent.

II. Ulterius eodem menſe, Februo ideſt Plutoni, cæteriſque diis infernalibus pro deceſſorum ſuorum animabus, ut iis propitii forent, ſolemnes quotannis hoſtias offerebant cum cereis tota nocte accenſis in eorum laudibus vigilantes, perque urbem cum facibus ardentibus ambulantes in memoriam raptæ a Plutone Proſerpinæ, quam cerer mater Ennæas per ſyl-

vas

vas noctu cum facibus ardentibus diu quæſivit. Romanorum quoque mulieres feſtum luminum colebant.

III. Summus autem Pontifex Gelaſius ſuperſtitioſis hiſce feſtis, vel ejusdem, immo pejoris farinæ ſupercalibus, ut alii ſentiunt, Romæ abrogatis, hodiernam ſolemnitatem inſtituit, ut *quoties*, ait S. Leo, *cæcitas Paganorum in ſuperſtitionibus ſuis eſt intenſior, tunc præcipue populus Dei orationibus, & operibus pietatis inſtaret*.

IV. Gelaſii deinde exemplum ſequutus Juſtinianus Imperator Conſtantinopoli, mortalitate magna inſurgente, hodiernam diem præcepit ſolemniter celebrari.

V. Sergius tandem Papa prædictos luſtrandi mores in melius commutans, huic ſolemnitati addidit litanias ſic inſtitutas: ut eunte clero cum populo ab Eccleſia S. Adriani procederetur ad baſilicam S. Mariæ Majoris cum cereis ad talem uſum benedictis, unde in hodierna proceſſione cerei ardentes deferuntur, & quidem benedicti, ut digne ab omnibus geſtentur.

VI. Ideo

VI. Ideo vero candelas portamus, ut felici juſti Simeonis gaudio aliquatenus participemus, qui infantem Chriſtum geſtans in ulnis agnovit: ſiquidem candela Chriſti Domini typus eſt, in cera namque per apes opere virginali cum melle producta humanitatem, ſeu carnem Chriſti Domini ex Virgine ſumptam agnoſcimus; in lumine Deitas effulget, quia *Deus ignis conſumens eſt*, unde & Simeon hodie *Lumen ad revelationem gentium* prophetico ſpiritu Chriſtum appellat, in xylino intra ceram anima candidiſſima Chriſti Domini, qui candor eſt lucis æternæ, vel juxta alios mortalitas exprimitur.

VII. Accenſæ deferuntur in manibus, tum ut per bona opera proximis noſtris lucis exempla monſtremus; tum quia ſine fide impoſſibile eſt, placere Deo, fides autem ſine operibus mortua eſt; tum ut B. M. V. puritas oſtendatur: ne quis enim audiens ejus purificationem audeat umquam ſuſpicari, eam purificatione indiguiſſe, idcirco candelas accenſas in manibus deferimus, quaſi opere confiteamur, quod *B.* V. M. purificatione non eget, ſed tota rutilans, & formoſa, tota

candida, & ſine ruga, & tota abſque macula eſt, ſemperque fuit.

## §. II.

*Ritus.*

I. SI purificationis feſtum venerit in Dominicis Septuageſimæ, Sexageſimæ, vel Quinquageſimæ, ſive in die feſto S. Titularis, Patroni, Dedicationis propriæ Eccleſiæ &c. fit tantum benedictio, & diſtributio candelarum cum proceſſione, miſſa vero dicitur de dictis Dominicis, Patrono, Dedicatione &c. Purificationis autem officium, & miſſa in ſequentem diem transferuntur ex Decreto Clement. VI., hoc tamen intellige, niſi ſequens dies impediatur ab alio feſto novem lectionum occurrente, tunc enim transfertur in primam diem ſimiliter non impeditam. Ita quidem ex communi praxi; ſed re maturius penpenſa, videtur, Purificationis feſtum incidens in dominicas privilegiatas transferendum omnino eſſe in feriam ſecundam immedia-

diate ſequentem, etiamſi talis ſecunda feria ſit impedita feſto novem lectionum, præſertim inferioris, aut æqualis ritus; idque ne fruſtraneum videatur Clementis VI. decretum, quod alias nihil amplius præſcriberet quam quod eſſet de jure agendum, nec ullum adderet pro tali feſto privilegium. Præterea valde congruum videtur hujuſmodi privilegium, ne Purificationis feſtum ulterius protrahatur. In eccleſiis autem, quæ ſunt ſub titulo Purificationis B. M. V. ſit hodie officium de feſto cum nona lectione, & commemoratione dominicæ; Miſſa vero tam ſolemnis, quam privata dicitur de Purificatione cum commemoratione dominicæ, ejuſque Evangelio in fine, & in ſecundis veſperis fit commemoratio dominicæ tantum.

II. Celebrans indutus amictu, alba, cingulo, ſtola, & pluviali violaceo, vel abſque caſula accedit medius inter ſacros miniſtros ad altare, illud oſculatur in medio, vadit ad cornu Epiſtolæ, ubi converſus ad altare dicit *Dominus vobiſcum*, & orationes pro benedictione candelarum in cornu epiſtolæ locatarum. Mini-

ſtri ſtant hinc inde. Orationes dicuntur manibus junctis, quæ non aperiuntur ad *Oremus*. diaconus, & ſubdiaconus planetis utuntur plicatis, & ſic ad cinerum, palmarumque benedictiones. Vide dicenda *tit. ſeq.* §. 2.

III. Dum celebrans dextera benedicit, ſiniſtram ſuper altare poſitam tenet, diaconus vero elevat anteriorem pluvialis fimbriam: interim in choro ſtant omnes verſus altare nudo capite.

IV. Completis orationibus, celebrans in cornu Epiſtolæ cum ſolitis oſculis a miniſtris imponit, ac benedicit incenſum more ſolito; aſpergit ter candelas, ſcilicet in medio, a dextris, & a ſiniſtris ipſarum, dicendo *Aſperges me Domine* ſine cantu, & abſque pſalmo. Ter quoque eodem, quo aſperſit, modo candelas thurificat, nihil dicens.

V. Aſperſis, & incenſatis candelis, celebrans accedit ad medium altaris, ubi ſtat verſus populum nudo capite medius inter ſacros miniſtros. Tum dignior ex choro ſine ſtola in habitu ſuo chorali accedit ad altare, datque celebranti can-

de-

delam, & omnia fiunt, ut infra in Palmarum benedictione dicetur.

VI. Celebrantes, qui diſtribuunt candelas, cineres, & palmas debent eas detecto capite diſtribuere S. R. C. 18. *Jul.* 1626. An candelæ diſtribuendæ ſint accenſæ, vel extinctæ accendendæ poſtea ante proceſſionem, ſtandum conſuetudini; rectius tamen diſtribuuntur accenſæ.

VII. In diſtributione candelarum, cinerum, palmarum, & ſimilium ante omnes alios quoſcumque, etiam ante Vicarium generalem, Dignitates, & Canonicos ſacris indutos veſtibus, præferendus ſemper eſt ille, a quo celebrans accepit S. R. C. *in Lucerin.* 14. *Jun.* 1608. *in cauſa S. Marci* 5. *Martii* 1633. & eodem die, & anno *in Vulteranen. Terræ Gualdi.*

VIII. Dum fit candelarum diſtributio, hoc eſt dum dignior ex choro porrigit celebranti candelam, cantatur a choro *Lumen ad revelationem* cum cantico *Nunc dimittis*, poſt quemlibet ejus verſum repetita antiphona *Lumen ad revelationem &c.* in fine dicitur *Gloria Patri &c. Lumen &c. Sicut erat &c. Lumen &c.* Attendendum tamen, quod ℣. *Gloria Patri* in fine Can-

tici dicendum eſt ſemel tantum, itaut ſi ita protrahatur diſtributio, ut ſit repetendum Canticum, dicto illius ultimo verſu, & omiſſo *Gloria Patri*, repetitur a capite *Nunc dimittis*.

IX. Candelarum diſtributione completa, non prius, in choro cantatur *Exurge Domine*; interim celebrans lavat manus, deinde junctis manibus verſus altare dicit in cornu Epiſtolæ *Oremus* cum oratione. Si hoc feſtum celebretur poſt Septuageſimam dicitur *Flectamus genua*, *Levate*, niſi occurrat in dominica, tunc enim etiam poſt Septuageſimam non dicitur *Flectamus*, quia dominica Chriſti Domini reſurrectionem ſignificat; Celebrans autem numquam genuflectit. Poſt orationem fit proceſſio, & primo celebrans imponit incenſum, illud more ſolito benedicens; poſtea diaconus vertens ſe ad populum dicit clara voce: *Procedamus in pace*, chorus reſpondet, *In nomine Chriſti. Amen*. Proceſſio fit ut in die Palmarum.

X. In proceſſione candelæ deferuntur accenſæ, cantatur autem antiphona *Adorna &c.*

XI. Dum

XI. Dum fit proceſſio aufertur pallium violaceum ab altari, ut appareat album, niſi miſſa cantanda ſit de dominica Septuageſimæ &c. tunc enim violaceum eſt adhibendum.

XII. Cantores dum intrant in Eccleſiam, vel in presbyterium, ſi proceſſio non fiat extra eccleſiam, abſolute cantant *Obtulerunt*, quo finito omnes extinguunt candelas ſuas, ſeque recipiunt in chorum, celebrans vero accedit ad ſacriſtiam cum miniſtris, ut paramenta pro miſſa accipiant; numquam enim paramenta ſumenda ſunt ad altare, præſertim e medio, quod ſolis Epiſcopis, & Cardinalibus conceditur S. R. C. 7. *Jul.* 1612. immo nec iis, quando in altari eſt expoſitum SS. Sacramentum.

XIII. Si in feſto Purificationis occurrat feſtum Patroni &c. tunc, poſt proceſſionem, celebrans cum miniſtris accipit paramenta coloris feſto convenientis, violaceis depoſitis.

XIV. Miſſa quantum fieri poteſt, ab eodem cantanda eſt, qui benedictionem fecit.

XV. Ad Evangelium, & iterum ad

elevationem SS. Sacramenti uſque ad communionem incluſive omnes tenent candelas accenſas ; ſtandum tamen erit poſt elevationem, licet cum candelis accenſis. Celebrans vero tenet candelam accenſam, dum cantatur a diacono Evangelium. Hæc autem ſunt intelligenda, ſi miſſa cantetur de feſto Purificationis, nam ſi de Patrono, Dominica &c. cantetur miſſa, candelæ numquam poſt proceſſionem accenduntur.

TI-

# TITULUS QUINTUS

## CINERUM BENEDICTIO.

### §. I.

*Notabilia.*

I. FEria IV. Cinerum initium pœnitentiæ eſt, adeoque in ipſo ſolemnis jejunii limine ex pervetuſta Eccleſiæ inſtitutione benedicitur cinis, quo fidelium capita aſperguntur.

II. Cinerem pœnitentiæ ſymbolum eſſe, ſacræ paſſim ſcripturæ teſtantur. Hinc Job egit pœnitentiam in favilla, & cinere. *Job. ult.* Filii Iſrael *humiliaverunt animas ſuas in jejuniis, & erat cinis ſuper capita eorum Judith.* 4. *verſ.* 8. *&* 16. Mardochæus *indutus eſt ſacco, ſpargens cinerem capiti. Eſther.* 4. 1. Filiæ Jeruſalem *conſperſerunt cinere capita ſua. Tren.* 2. *v.* 10. Rex quoque Ninives *indutus ſacco ſedit in cinere. Jonæ* 3. 6.

III. Ut autem calamitas noſtra nobis ad memoriam revocetur, & ut memineri-

nerimus, quia non dii, neque de cœlo, ſed homines ſumus de terra principium habentes, in pulverem brevi reverſuri, dicitur *memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris*, quod protoplaſto noſtro Adæ poſt tranſgreſſionem ſuam fuit ore divino denuntiatum *Gen.* 3. 19.

IV. In primitiva Eccleſia fideles nudis pedibus ad ſacrum cinerem ſuſcipiendum accedebant, quo profiterentur, nos per peccatum gloria noſtra ſpoliatos, & inter hoſtes nudos conſtitutos ornatu divinæ gratiæ indigere.

V. Conficitur cinis iſte ex palmarum, olivarumque ramis, ut intelligamus, nonniſi per pœnitentiam, vitiorum triumphum referre, pacemque, ac Dei miſericordiam conſequi neminem umquam poſſe.

## §. II.

### *Ritus.*

I. ALtare paretur cum Cruce, & candelabris abſque floribus, aut alio ornatu.

II. Ce-

II. Cereis altaris accenſis celebrans amictu, alba, cingulo, ſtola, & pluviali violaceo indutus, vel abſque caſula cum miniſtris accedit manibus junctis, & capite cooperto ad altare præcedentibus acolythis cum candelabris accenſis. Poſt debitas reverentias aſcendit, oſculatur altare in medio, retrahit ſe ad cornu Epiſtolæ, ubi ſtans medius inter miniſtros, ita tamen, ut miniſtri aliquantiſper ab altari diſtent, legit ſubmiſſa voce, dum a choro cantatur, *Exaudi nos Domine*, deinde non vertens ſe ad populum dicit manibus junctis *Dominus vobiſcum* cum orationibus, aliquantulum converſus ad cineres, qui debent in aliquo vaſculo poni ſuper altare prope celebrantem in cornu epiſtolæ, adeout vas ſit inter miſſale, & cornu epiſtolæ. Dum format dextera ſuper cineres Crucis ſignum, ſiniſtram ſuper altare poſitam tenet, diacono a dextris anteriorem fimbriam pluvialis elevante. Vas cinerum debet eſſe coopertum, vel operculo, vel violaceo velo uſque ad cinerum benedictionem.

III. Præcipuis in Eccleſiis miniſtri plicatas adhibent planetas, in aliis vero minori-

noribus alba induti miniſtrant abſque manipulis. Ritus aſſumendi, & exuendi a ſubdiacono, & diacono planetas plicatas denotat, *illam ſuam non eſſe veſtem, nec propter ſuum ordinem ſibi debitam, ſed propter Dominicæ, vel alicujus feſti reverentiam ſe accipere accomodatam, ut inopem, atque indecentem conſolentur expoliationem. Rupertus lib.* 3. *cap.* 2.

IV. Nota etiam hic regulam generalem, nimirum quando celebrans habet pluviale, miniſtri pares cum ipſo procedunt, pluvialis celebrantis extremitates aliquantulum elevatas hinc inde ſuſtentantes, eique pares aſſiſtunt. Qui a dextris eſt, ſiniſtra elevat manu, dextera pectori admota; qui vero eſt a ſiniſtris elevat dextera manu, ſiniſtra admota pectori.

V. Completis orationibus celebrans imponit, ac benedicit more ſolito incenſum, ter cineres aſpergit, videlicet in medio, a dextris, & a ſiniſtris cinerum, interim dicens *Aſperges me* ſine cantu, & abſque pſalmo, eodemque modo ter eos thurificat, nihil dicens. Inde ad medium altaris accedit, ibique nudo capite ex

S. R. C.

R. C. 18. *Jul.* 1626. ſtat verſus populum medius inter ſacros miniſtros omnes aliquantulum ab altaris fronte diſtantes.

VI. Tum dignior ex choro in habitu ſuo chorali ſine ſtola S. R. C. 14. *Febr.* 1705. accedit ad altare, & aſcendit uſque ad gradum ſuppedaneo proximiorem, ubi ſtans imponit cineres ſuper caput celebrantis ſtantis quidem, ſed inclinato capite, junctiſque manibus. Imponens cineres facit ſuper caput Crucis ſignum dicens interim *Memento homo quia &c.* Si quid hic omittimus, vide, quæ exactius in palmarum benedictione dicuntur, & ea huc transfer.

VII. Si nullus adſit Sacerdos, tunc ipſemet celebrans genuflexus utroque genu ſuper altaris ſuppedaneum, verſa ad altare facie, ſibi ipſi cineres in capite imponit, formans ſuper caput ſuum Crucis ſignum, nihil dicens, quaſi a Chriſto domino immediate cineres accipiat. Diaconus autem quamvis ſit Sacerdos, non debet celebranti cineres imponere.

VIII. Dum incipit cinerum diſtributio, hoc eſt dum dignior Celebranti cineres imponit, in choro cantatur *Immutemur ha-*

*habitu*; ſi vero diſtributio protrahatur, repetitur uſque ad finem diſtributionis.

IX. Si cineris benedictio fiat abſque clericis, qui cantent in choro, tunc antiphona *Immutemur* cum ſequentibus, dicatur a celebrante antequam cineres ipſe diſtribuat.

X. Sacerdos, dum cantantur antiphonæ, imponit aperto capite S. R. C. 18. *Jul.* 1626. cineres primum digniori ſuper ſuppedaneum genuflexo S. R. C. 14. *Februar.* 1705. deinde miniſtris: qui omnes accipiunt cineres facta altari genuflexione, celebranti vero profunda inclinatione, genuflexi ſuper ſuppedaneum, junctis manibus, & capite inclinato, exceptis Canonicis, & Eccleſiæ Superiore, qui non genuflectunt, ſed ſtantes, capite, humeriſque profunde inclinatis, cineres recipiunt. Poſt impoſitum cinerem faciunt iterum omnes altari, & celebranti debitam, ut ſupra, reverentiam. Accedunt ad altare per latus epiſtolæ, redeunt ad chorum per latus Evangelii.

XI. In diſtributione vas cinerum a diacono ſuſtinetur a dextris celebrantis.

XII. Laicis non debent cineres ad altare

tare diſtribui, ſed ad cancellos. Mulieribus non imponuntur cineres ſuper velum, ſed omnino ſuper capillos. Magiſtratus, & Officiales accipiunt candelas, cineres, palmas ad altare, ſed omnino poſt omnes de Clero.

XIII. Cinerum impoſitione completa, Sacerdos procedit per planum ad latus Epiſtolæ, ibique prope credentiam in plano manus lavat, acolytho aquam fundente, miniſtris manutergium miniſtrantibus: digitos etiam fricat medulla panis.

XIV. Lotis exterſiſque manibus celebrans per laterales gradus aſcendit ad altare, nempe ad cornu epiſtolæ ſuper ſuppedaneum, ibique ſtans verſus altare manibus junctis medius inter ſacros miniſtros canit in feriali tono *Dominus vobiſcum* cum oratione. Poſtea depoſito ibidem pluviali, manipulum accipit, & planetam, ſacri vero miniſtri ſuos accipiunt manipulos, & canitur Miſſa, quæ ab eodem omnino cantanda eſt, qui benedixit candelas, cineres, palmas S. R. C. *12. Jun.* 1627.

XV. Si cinerum benedictio terminetur

ad

ad altare, celebrans manus lavat ſuper ſuppedaneum in cornu epiſtolæ.

XVI. Cinis fit ex palmarum, vel olivarum ramis anno ſuperiori benedictis, qui ſint aridi S. R. C. 23. *Maii* 1603.

XVII. Quodcumque duplex etiam primæ claſſis die cinerum occurrens transfertur. Hac etiam die prohibentur miſſæ privatæ votivæ, ac miſſæ defunctorum; immo ex *Bauldry part.* 3. *cap.* 7. *tit.* 6. non poteſt hodie cantari miſſa ſolemnis etiam pro re gravi, quare eo minus ob ſolum populi concurſum.

TI-

# TITULUS SEXTUS

## HEBDOMADA MAJOR.

### §. I.

*Notabilia.*

I. Dicitur major, quia ſanctior eſt apud fideles totius anni hebdomada, unde per antonomaſiam hebdomada ſancta vocatur; quia majus ac prolixius habet officium, quia majora divinæ erga nos charitatis monumenta recoluntur. Antiqui fideles per totam hanc hebdomadam *in ſiccorum eſu*, ait *Epiphan. lib. 3. contra hæreſ. perſeverabant, pane, aqua, & ſale tunc utentes ad veſperas*. Item ab operibus ceſſabant *Can. pronuntiandum de conſecr. D.* 3. ut ſe quam maxima cum devotione ad paſchalem ſynaxim præpararent.

II. Appellatur etiam pœnoſa eo quod in ea præcipue debemus vitia noſtra punire, maxime quia acerba optimi Re-

demptoris ſupplicia, & ſanguinolentum rememoramus occaſum.

III. In veſperis Sabbati ante Dominicam Paſſionis, quandò teguntur Cruces, & imagines Sanctorum uſque ad Sabbatum Sanctum, tegendæ ſunt velo violaceo, ſeu nigro, nequaquam albo, niſi in Cœna Domini ad miſſam, & mandatum.

IV. In velo, quò Paſſionis tempore cooperiuntur imagines, nullæ debent eſſe pictæ figuræ, multoque minus Chriſti Domini effigies, aut Paſſionis inſignia; contrarium enim eſt abuſus *Biſſus litt. I.* 25. ſiquidem hoc tempore Chriſtus Dominus *abſcondit ſe, & exivit de templo. Joan.* 8. *in fin.*

V. Infra majorem hebdomadam de nullo poteſt omnino feſto quantumvis ſolemniſſimo fieri. De ſimplici fit tantum commemoratio excepto triduo ante paſcha, quum ſit primæ claſſis; quare non fit S. ſimplicis commemoratio niſi poſt feriam tertiam poſt paſcha incluſive.

VI. Paſſio in Miſſis privatis dicitur in cornu Evangelii; in miſſa vero ſolemni

in

in cornu Epiſtolæ S. R. C. 14. *Auguſti* 1663.

VII. Tres, qui ſunt paſſionem cantaturi, habitu diaconali in ſacriſtia ſe parent colore violaceo. Induantur ergo amictu, alba, cingulo, manipulo, & ſtola ab humero ſiniſtro pendente, & circa finem tractus omnes ſic parati de ſacriſtia procedunt nudo capite, hoc ordine. Qui Evangeliſtæ partes agit portans ambabus manibus ante pectus librum primus incedat; deinde qui Turbarum; ultimo loco, qui Chriſti, manibus junctis, & facta altari debita genuflexione, pergant ad locum, ubi ſunt paſſionem cantaturi. Ibi qui partes agit Evangeliſtæ medium tenet locum; qui Chriſti partem, dexteram; qui turbarum, ſiniſtram Evangeliſtæ occupat.

VIII. Dum canitur paſſio Celebrans legit illam ſubmiſſa voce in cornu Epiſtolæ, uſque ad eam partem, quæ dicitur loco Evangelii excluſive; mox vertit ſe erga illos, qui paſſionem cantant, prout ſit ad Evangelium. Diaconus ſtat a ſiniſtris celebrantis ſuper gradum ſecundum, & a ſiniſtris diaconi, ſubdiaconus ſu-

per infimum gradum junctis manibus.

IX. Celebrans in miſſa ſolemni privatim legens, debet genua flectere ad verba *emiſit ſpiritum* vel ſimilia; quando vero dicta verba pronuntiantur a cantore, tunc ipſe, ac miniſtri deſcendunt, & in medio altaris in ſupremo gradu utraque flectunt genua, nec prius ſurgunt, quam ſurrexerit Evangeliſta, qui prior ſurgere debet; ipſe vero cantor non genuflectit, niſi finitis verbis prædictis: qui autem Chriſti turbarumque gerunt perſonam genuflectunt verſus librum, & poſt cantorem ſtatim ſurgunt. Fit ab omnibus hæc genuflexio ambobus genibus in terra poſitis. Surgendi ſignum non detur cum ſtrepitu.

X. Hic nota genuflexionum myſterium, *cadimus in terram, ut Chriſtum in carne adoremus, & ut memoremus, nos in Adamo cecidiſſe, & mole corporis gravati ingemiſcamus, & ut lapſum animæ noſtræ in vitia, dum corpore ad terram cadimus, pœnitendo fateamur. Honor. in gemma lib.* 1. *cap.* 117. *& S. Baſil. lib. de Spiritu Sancto cap.* 20. *Quoties genuflectimus, & rurſus erigimus, re ipſa oſtendimus, quod propter pec-*

*peccatum in terram delapſi ſumus, & per benignitatem ejus, qui condidit nos ad cœlum revocati ſumus.*

XI. In Paraſceve paſſio legitur in paramentis nigri coloris ſuper nudum pulpitum. Cantores in principio non oſculantur Epiſcopi manum, ut fit in aliis. Ad ultimam partem diaconus non petit benedictionem, non deferuntur luminaria, nec incenſum.

XII. In miſſa privata celebrans ad verba *Emiſit ſpiritum*, vel ſimilia genuflectit verſus librum utroque genu, & ita manet per ſpatium unius ſaltem Pater noſter.

XIII. Paſſio in miſſa privata legenda eſt ſub mortali.

XIV. Lignum, ſive candelabrum triangulare, ubi collocantur 15. candelæ per ſingulos nocturnorum, laudumque pſalmos extinguendæ, ponendum eſt in plano presbyterii, non autem in medio, ſed in cornu epiſtolæ; deſignat enim Hebraicum populum, ad quem principaliter miſſus fuit Chriſtus Dominus. Prior candela extinguenda eſt a cornu Evangelii.

XV. Hæc candelarum extinctio ſigni-

ficat, quod Crucifixo Domino tenebræ factæ ſunt ſuper terram. Sunt autem quindecim, quia ſignificant duodecim Apoſtolos, & tres Marias, quæ ſequebantur Dominum. Ultima candela non extinguitur, ut oſtendatur, quod in B. V. M. numquam fuit reſurrectionis Chriſti fides extincta; occultatur vero, quia Dominicæ paſſionis tempore S. Eccleſiæ fides occulta quidem manſit, ſed ſemper ardens.

XVI. In triduo paſſionis, hoc eſt a matutino pro Fer. V. uſque ad finem litaniarum Sabbati omnes omnino etiam Canonici tranſeuntes ante Crucem majoris altaris faciunt reverentiam cum genuflexione, terram genu dextro tangentes, excepto celebrante, qui tamen in die Paraſceves ipſe etiam genuflectit.

XVII. Tribus diebus luget Eccleſia, celebrans in mærore Chriſti Domini humiliationem, qui tribus etiam diebus fuit in ſepulcro; prævenit autem in Fer. V. quum in ea nefanda Judæ proditio intervenerit.

XVIII. In triduo prædicto dictis *Pater*, *Ave*, & *Credo* celebrans quum primam

mam dicit antiphonam, ſignat ſe cum omnibus de choro, ut fit ad ℣. *Deus in adjutorium meum intende*; idemque in privata recitatione ſervetur, ſicut etiam ad omnes horas in illarum principio. Oratio *Reſpice quæſumus Domine* dicitur flexis genibus ad omnes horas ab omnibus. Si matutinum in hoc triduo ſeparetur a laudibus dicitur in fine ℣. *Chriſtus factus eſt &c.* pſalmus *Miſerere*, & oratio *Reſpice*.

XIX. Tenebrarum matutinum ſub occaſum ſolis eſt terminandum; quare incipiendum erit hora vigeſima prima, vel circa. Ideo autem matutinas horas eccleſia finit in hoc triduo in tenebris, non tam materiales ob tenebras, quæ fuerunt ſuper terram, quando Sol juſtitiæ pendebat in Cruce, quam etiam ob ſpirituales, quæ in Dominicæ paſſionis triduo in fidelium cordibus extiterunt.

XX. Jeremiæ lamentationes convenientius a ſenioribus cantandæ *Biſſ. litt. M.*42.

XXI. Non dicitur invitatorium, quia Apoſtoli, qui alios ad Dominum invitare, & convocare conſueverant, erant in hoc triduo diſperſi. Omittuntur hymni,

quia tunc Chriſtus Dominus factus eſt opprobrium hominum, & abjectio plebis. Non additur in lectionibus *Jube domne* nec in fine *Tu autem Domine*, quia receſſit Paſtor, & Sacerdos, qui gregi benedicere, ac miſereri debet, unde quia illum propter peccata amiſimus, ideo ut valeamus illum recuperare ſubdimus *Jeruſalem Jeruſalem convertere &c.* ut ad pœnitentiam convertamur, & gaudium poſt luctum conſequamur. Bis dicitur *Jeruſalem*, ut Judæorum, ac peccatorum duritia arguatur, ſicut alibi in Evangelio *Jeruſalem Jeruſalem, quæ occidis prophetas &c.*

XXII. In matutino tenebrarum ad *Benedictus* extinguntur lampades, & cætera eccleſiæ luminaria, exceptis iis, quæ ante SS. Sacramentum ardent.

XXIII. Cerei altaris prius extinguantur, qui ſunt in cornu Evangelii, incipiendo ab eo, qui magis diſtat a Cruce; poſtea extinguantur alii in cornu Epiſtolæ, incipiendo pariter ab eo, qui eſt a Cruce remotior; quod ſemper eſt ſervandum quoties altaris candele extinguuntur: quoties vero ſunt accendendæ, ſem-

ſemper eſt a cornu epiſtolæ incipiendum ab illo cereo, qui eſt Cruci proximior.

XXIV. Dum repetitur poſt *Benedictus* antiphona, Cæremoniarius, aut alius accipit candelam accenſam in cuſpide triangulari relictam, eamque dextera manu accenſam tenens genuflectit ſuper infimum altaris gradum in latere a cornu Epiſtolæ, & ſic genuflexus eamdem ſuſtinet elevatam. Dum vero inchoatur ℣. *Chriſtus factus eſt pro nobis* abſcondit illam retro altare, itaut nullo modo videatur a populo, eamque ſic tenet uſque ad finem, ut mox dicetur.

XXV. Poſt antiphonam omnes genua flectunt, & ſimul omnes incipiunt genuflexi *Chriſtus factus eſt*. Oratio *Reſpice* dicitur a celebrante flexis genibus, manibus junctis, & capite aliquantulum inclinato. Poſt fragorem candela accenſa oſtenditur populo, & in triangulo reponitur, ubi debet aliquantulum ardere v. g. per ſpatium unius miſerere.

XXVI. Triduo ante Paſcha horæ canonicæ terminantur cum ſola oratione *Re-*

*Reſpice quæſumus*, nec additur in fine oratio Dominica, nec aliud quippiam.

XXVII. Candelæ ad altare ad omnes horas minores ſaltem duæ ſunt accendendæ in Fer. V. ſicut etiam ad veſperas, non autem ad Completorium. Feria vero VI. & ſabbato non accenduntur, excipe ad veſperas in die Paraſceves.

XXVIII. Quamvis hoc tempore omittatur in choris defunctorum officium, non tamen inde putes ullum defunctos, qui ſunt in purgatorio, diſpendium pati; quum enim ſint nobis per charitatem uniti, beneficia noſtra juxta eorum merita participant, nec expreſſius poteſt de illis memoria fieri, quam agendo memoriam de Dominica morte, & reſurrectione, per quam a pœnis liberari expectant. Extra chorum utile eſt hæc officia recitare.

XXIX. Extra parochiales Eccleſias die Paſchatis prohibetur omnino ſub quovis prætextu adminiſtrari SS. Euchariſtia ex conſtitutione Gregorii XIII. an. 1585. edita S. R. C. 23. *Junii* 1586.

§. II.

## §. II.

*Dominica Palmarum.*

I. SUper altare ponatur tantum Crux cum ſex candelabris etiam argenteis; pallium ſit violaceum, ſicut & Crucis velum, nec pro benedictione facienda Sanctiſſimum a tabernaculo amoveatur.

II. Super credentiam, præter requiſita pro miſſa, ponatur thuribulum cum navicula, vas aquæ benedictæ, & bacile pro lavandis manibus Celebrantis poſt palmarum diſtributionem. Item ſi ſit capax, alioquin ſuper aliam credentiam albo linteo coopertam a latere altaris in cornu epiſtolæ collocatam, ponantur palmæ, & olivarum rami, in quibus, ſi fieri poteſt, Cruces & palma inſerantur. Pro celebrante, miniſtris, ac nobilioribus viris rami pulcriores. Omnes autem rami linteo mundo, vel alio decenti velo cooperti ſint, uſque dum ſunt benedicendi. Parentur etiam ſuper credentiam miſſalia pro cantandis epiſtola, & Evangelio
in

in palmarum benedictione; item latior ſtola pro diacono.

III. In loco presbyterii ad cornu epiſtolæ ponatur Crux proceſſionalis tecta velo violaceo; in aliquo autem loco remoto vas cum carbonibus ſuo tempore in thuribulo ponendis.

IV. In ſacriſtia pro tribus cantaturis paſſionem tres parentur amictus, tres albæ, tria cingula, tres ſtolæ, tres manipuli, & tria miſſalia, omnia diſtincte.

V. Ad denedictionem, & diſtributionem palmarum Sacerdos utitur pluviali violaceo, vel abſque caſula; diaconus, & ſubdiaconus planetis plicatis, ſtola, & manipulo, qui tamen in proceſſione deponitur.

VI. Cereis altaris accenſis, Celebrans præcedentibus acolythis cum candelabris ardentibus, ut ante miſſam, ſed abſque thuriferario, cum miniſtris hinc, inde a latere ſuo, capite cooperto, junctiſque manibus accedit ad altare, debitiſque factis reverentiis aſcendit, oſculatur altare in medio, ac retrahit ſe ad cornu epiſtolæ, ubi ſtans medius inter miniſtros legit ſubmiſſa voce, dum cantatur

a cho-

a choro, non ſe ſignans *Hoſanna filio David* verſus ad altare dicit junctis manibus in tono feriali *Dominus vobiſcum*, præmiſſoque *Oremus* cantat manibus junctis *Deus quem &c.*

VII. Interim ſubdiaconus vadit ad credentiam, ubi depoſita planeta, ſumit ambabus manibus miſſale, & comitatus a cæremoniario, vel alio, facta in medio altaris genuflexione, finita a celebrante oratione, cantat in loco ſolito in tono epiſtolæ lectionem, qua finita, accedit ad oſculandam Sacerdotis manum, poſtea depoſito miſſali redit ad credentiam, ubi plicatam reſumit planetam.

VIII. Celebrans, ſi velit Evangelium legere, legit illud in cornu epiſtolæ, præmiſſo ibidem, non in medio altaris, profunde tamen de more inclinatus verſus Crucem, *Munda cor meum*. Cæterum in palmarum benedictione non tenetur Celebrans nec epiſtolam, nec verſus ſequentes, nec Evangelium legere, quando a diacono, vel ſubdiacono cantantur. Vide quæ infra dicentur in ſabbato ſancto.

IX. In choro poſt lectionem cantatur ℟. *Collegerunt Pontifices*, vel *In monte Oli-*

*Oliveti*. Circa finem eorum, quæ cantantur pro graduali, thuriferarius ponit ignem in thuribulo, cum quo, & navicula tempeſtive accedit ad Celebrantem in cornu epiſtolæ, a quo non diſcedit; diaconus autem, depoſita prius planeta plicata, & ſumpta ſtola laxiori ponit Evangeliorum librum ſuper altare, miniſtrat celebranti imponenti incenſum in thuribulo, dicit more ſolito *Munda cor meum*, accipit librum, petit benedictionem, poſtea ſubdiacono librum tenente, inter duos acolythos accenſa candelabra geſtantes, canit evangelium more conſueto, & cum ſolita incenſatione. Completo Evangelio ſubdiaconus defert librum oſculandum Sacerdoti, qui mox a diacono incenſatur. Tum diaconus, depoſita ſtola laxiori, plicatam planetam ſumit.

X. Ubi palmarum benedictio fit abſque diacono, & ſubdiacono, Evangelium benedictionis canitur a Celebrante in cornu epiſtolæ S. R. C. 27. *April.* 1697. ibique dicit *Munda cor meum*.

XI. Poſt Evangelium Celebrans ſtans in eodem cornu epiſtolæ, medius inter mini-

miniſtros, aliquantulum ad ramos converſus manibus junctis, ac in tono ferialis orationis incipit benedictionem: quando vero occurrit ad aliquod verbum benedicere ramos, dextera benedicit, ſiniſtra ſuper altare poſita. Finita oratione proſequitur præfationem junctis manibus, aſſiſtentibus hinc inde ad præfationem miniſtris, cum quibus dicit *Sanctus &c.*

XII. Si forte alicubi palmarum, olivarumque loco benedicantur aliarum arborum rami, non ideo in orationibus mutandum eſt olivæ, ſeu palmæ nomen; ſicut Fer. VI. in Paraſceve, quamvis utatur quis argentea Cruce, adhuc tamen dicendum eſt *Ecce lignum Crucis*, eſto Crux illa non ſit ex ligno.

XIII. Poſt orationem *Benedic quæſumus Domine* Celebrans, diacono cum ſolitis oſculis, ac reverentiis miniſtrante, ponit incenſum in thuribulo, illudque benedicit, hinc ramos ter aſpergit, ſcilicet in medio, a dextris, & a ſiniſtris ipſorum, dicens ſubmiſſa voce *Aſperges me Domine &c.* ſine cantu, & abſque pſalmo, eodemque modo ter adolet incenſo, ni-

nihil dicens. In aſperſione, ac thurificatione diaconus elevat pluvialis fimbriam. Poſtea Celebrans pariter in cornu epiſtolæ dicit *Dominus vobiſcum*, *Oremus*, *Deus qui Filium tuum*, omnia manibus junctis.

XIV. Benedictione completa Celebrans accedit ad medium altaris, ubi ſtat verſus ad populum aperto capite medius inter miniſtros, diaconus autem ſtet ad ſiniſtram, quum debeat celebranti palmas diſtribuendas porrigere. Thuriferarius ſtat prope diaconum, ut porrigat, ſed abſque oſculis, ramos ipſi diacono, qui cum ramorum tantum oſculis eos celebranti porrigit. Dignior ex clero ad altare accedit manibus junctis, & facta unico genu ante infimum altaris gradum genuflexione, quamvis non adſit Sanctiſſimum in tabernaculo incluſum, Celebranti profundam facit reverentiam, aſcendit uſque ad altaris gradum ſuppedaneo proximiorem, ibique accepta a diacono palma pulcriori eam oſculatur, non autem celebrantis manum, palmamque celebranti ſtanti porrigit, quam celebrans oſculatur, non autem dantis manum, ſta-

tim-

timque tradit eam alicui acolytho cuſtodiendam. Tum diaconus accipit aliam palmam a thuriferario, qui nec diaconi manum, nec palmam oſculatur. Diaconus cum oſculis palmæ tantum eam porrigit Celebranti, qui dat illam digniori, a quo ipſe accepit, qui dignior manet genuflexus ſuper altaris ſuppedaneum, uti omnes in accipienda palma facere debent. Dignior oſculatur palmam, ac deinde celebrantis manum; tum ſurgit, deſcendit in planum advertens, ne terga celebranti directe vertat, ubi iterum ad altare converſus debitam altari, & celebranti facit, ut ſupra, reverentiam, inde ad chorum redit; in habitu enim ſuo chorali ſine ſtola dignior palmam celebranti miniſtrat.

XV. Initio diſtributionis, hoc eſt quando dignior palmam Celebranti porrigit, non prius, in choro cantantur antiphonæ *Pueri hebræorum*, quæ ſi non ſufficiant, repetantur quouſque ramorum diſtributio compleatur.

XVI. Dignior ex choro, ſi ſit Eccleſiæ ſuperior, dum accipit palmam, non genuflectit, nec manum celebrantis oſcu-

latur. Canonici quoque cathedralis Eccleſiæ non genuflectunt, nec oſculantur celebrantis manum, quamvis ſit ipſe canonicus S. R. C. 30. *Auguſti* 1664. Si vero adſit in altari SS. Sacramenti tabernaculum, ſemper etiam a canonicis facienda eſt genuflexio.

XVII. Poſt digniorem genuflectunt ſacri miniſtri ſuper altaris ſuppedaneum, diaconus a dextris, ſubdiaconus a ſiniſtris, & ſic accipiunt a celebrante palmas eidem a cæremoniario, vel alio interim porrectas. Miniſtri accipiendo, prius oſculantur palmam, deinde celebrantis manum; poſtea ſurgunt, & facta altari genuflexione, celebranti vero profunda inclinatione, redeunt ad loca ſua, nempe ad latera celebrantis, ut ſupra, palmis ſuis in cuſtodiam acolythis traditis. Tum accedunt alii de clero & digniores primo, tandem univerſus populus, ſed ad cancellos: qui ſi numeroſus ſit, alius Sacerdos cotta, & ſtola violacea indutus poterit, diſtributis clero a celebrante palmis, eas alio in altari populo diſtribuere. Non convenit,

nit, ut mulieres celebrantis manus, ſed ramos tantum oſculentur.

XVIII. Completa diſtributione Celebrans, ſi palmas diſtribuerit ad cancellos, pergit ad cornu epiſtolæ per planum; ibique manus lavat; tum accedit ad librum per gradus epiſtolæ, non tamen genuflectit, ſed tantum mediocriter caput inclinat verſus Crucem; ſi vero non diſtribuerit ad cancellos, tunc lavat manus ſuper ſuppedaneum in cornu epiſtolæ, ubi ſtans verſus altare ſacros inter miniſtros cantat manibus junctis *Dominus vobiſcum*, *Oremus*, *Omnipotens ſempiterne Deus*. Interim thuriferarius palmam ſuam ſuper credentiam deponit, ac thuribulum parat.

XIX. Celebrans dicta ultima oratione accedit ad medium altaris, ubi ſtans in ſuppedaneo, miniſtrante naviculam diacono, thuriferario thuribulum, imponit, ac benedicit incenſum more ſolito. Deinde diaconus, depoſito manipulo, accipit celebrantis ramum, quem ei cum debitis oſculis porrigit, mox accipit ſuum.

XX. Interim ſubdiaconus miſſæ, non alius, depoſito manipulo, accipit Cru-

cem, & abſque ulla reverentia ſe locat cum Cruce in medio presbyterii ante altare, medius inter duos ceroferarios. Thuriferarius cum thuribulo fumigante ſtat poſt ſubdiaconum: qui omnes prius ramos ſuos congruo deponunt loco.

XXI. Deinde diaconus, depoſito manipulo, accipit celebrantis ramum, quem eidem cum debitis oſculis porrigit, mox accipit ſuum. Interim aliquis acolythus infiget, ſeu vitta violacea ligabit in ſummitate Crucis proceſſionalis velo violaceo tectæ ramuſculum ex palmis, ſeu olivis benedictis, ſubdiaconus autem miſſæ, non alius, depoſito manipulo, accipit Crucem, & abſque ulla reverentia locat ſe cum Cruce in medio præsbiterii ante altare, medius inter duos ceroferarios. Thuriferarius cum thuribulo fumigante ſtat poſt ſubdiaconum: qui omnes prius ramos ſuos congruo loco deponunt. Diaconus facta altari genuflexione, ad populum converſus dicit, ſtans in ſuo gradu poſt celebrantem, *Procedamus in pace*, chorus reſpondet, *In nomine Chriſti Amen*. Statim celebrans, facta Cruci altaris inclinatione, deſcendit in planum,

num, ubi a diacono accipit more ſolito biretum, ſicut etiam diaconus ipſe a cæremoniario, ſtatimque ordinatur proceſſio.

XXII. Præcedit Thuriferarius, thuris enim ſignificatio Sanctis utriuſque teſtamenti communis eſt, thus autem devotionis, ac ſuaviſſimæ orationis, ac bonorum operum deſignat odorem. Sequitur ſubdiaconus deferens Crucem, medius inter duos acolythos accenſa deferentes candelabra. Deinde clerici bini, ac bini per ordinem. Si numerus ſit impar, ſenior, aut ſuperior incedit medius inter duos, itaut qui a dextris, palmam dextera deferat, qui vero a ſiniſtris deferat ſiniſtra; ultimus omnium Celebrans operto capite, habens a ſiniſtris diaconum, qui tamen pluvialis fimbriam non elevat, proceditque capite tecto, ambo cum ramis ſuis.

XXIII. Ab Evangelii cornu regulariter eſt incipienda proceſſio, niſi aliud loci ſitus, aut legitima conſuetudo ſuadeat.

XXIV. In proceſſione cantantur antiphonæ *Quum appropinquaret*, ac ſequentes, cantoribus incipientibus, aliis vero

proſequentibus. Antiphonæ dicuntur durante proceſſione, quæ ſi ſit brevior, non dicuntur omnes, repetuntur ſi ſit longior.

XXV. Extra Eccleſiæ januam ſubdiaconus prope oſtium ſtat, verſa ad illud facie, Crucem vero ita tenens, ut effigies Crucifixi ſtet verſus celebrantem, qui ſtat operto capite verſus Eccleſiæ portam, aliquantulum diſtans ab ea, diaconum a ſiniſtris habens.

XXVI. Duo cantores, aut quatuor intrant Eccleſiam, & clauſo oſtio ſtantes verſa ad proceſſionem facie incipiunt ℣. *Gloria*, *laus*, *& bonor* primos duos verſus cantantes, celebrans extra eccleſiam tecto capite, cæteri vero omnes eo diſcooperto reſpondent *Gloria laus &c.* Deinde qui ſunt intra, cantant alios ſequentes verſus aut omnes, aut partem, prout Superiori videbitur; qui vero ſunt extra ad quoslibet duos verſus reſpondent *Gloria laus &c.*

XXVII. Poſthæc ſubdiaconus ima parte haſtilis Crucis, non amota Cruce, percutit ſemel tantum imam partem januæ eccleſiæ, quæ ſtatim ab iis, qui ſunt intra,

tra, aperitur, & proceſſio ordine ſuperius explicato intrat in eccleſiam, cantoribus incipientibus, & choro proſequente, *Ingrediente Domino*.

XXVIII. Si proceſſio nequeat ob pluviam, vel aliud impedimentum extra Eccleſiam fieri, tunc intra eccleſiam fiat, & quicquid erat ante januam eccleſiæ faciendum, fiat in veſtibulo ante cappellæ majoris, aut chori ingreſſum.

XXIX. Quum ad altare proceſſio pervenerit, ſubdiaconus Crucem deponit in presbyterio in cornu epiſtolæ, celebrans vero ante infimum altaris gradum deponit ſuam palmam, & facta debita reverentia altari, & choro, retrahit ſe ad cornu epiſtolæ, ubi depoſito pluviali, accipit manipulum, & planetam, itemque miniſtri; mox cum iis accedit iterum ad medium altaris ante infimum gradum, & canitur miſſa, quæ quantum fieri poteſt ab eodem, qui palmas benedixit, cantetur S. R. C. 12. *Jun.* 1627.

XXX. Olim in hodierna proceſſione ſolemniter Evangeliorum liber deferebatur. *Hodie præparatur quoddam portatorium honeſtiſſime, in quo intromittitur S.*

*Evangelium, quod intelligitur Chriſtus. Albin. de divin. off.* qui poſt pauca ſubdit, *Diaconi ſupradictum portatorium cum Evangelio bajulantes.*

XXXI. Summus etiam Pontifex aliis infra annum diebus conſuevit palmas in ſignum victoriæ peregrinis ab Jeroſolyma reverentibus diſtribuere, nonnullas ad eorum colla Cruces appendens. *Rog. in Annal. Anglican.*

XXXII. In miſſa nulla fit commemoratio; in epiſtola ad verba *In nomine Jeſu* omnes genuflectunt uſque ad verba *Inferorum* incluſive, ſubdiacono excepto. Celebrans vero in miſſa ſolemni genuflectit in medio ante altare cum diacono a ſiniſtris, niſi forte ſit impeditus ad alia dicenda v. g. graduale, ſeu tractum.

XXXIII. Quum canitur paſſio, omnes tenent ramos benedictos, ut dum Crucis ignominia narratur, ejusdem victoria demonſtretur. Celebrans dum legit paſſionem, tenet ramum ſiniſtra manu, ſicut & miniſtri, qui aſtant celebranti ut ad introitum miſſæ. Elevationis tempore rami tantummodo ab Epiſcopo tenentur.

Ce-

Cerei altaris, dum canitur paſſio, nequaquam ſunt extinguendi.

XXXIV. Paſſio incipitur abſolute; non dicitur *Munda cor meum*; non petitur benedictio, quum omnium benedictionum fons deſcribatur ſublatus; non deferuntur lumina, quia ille narratur extinctus, qui lux eſt mundi; non fertur incenſum, eo quod devotionis, immo & fidei fervor in Apoſtolorum cordibus tepuit, ſeu potius fuit extinctus; non dicitur *Dominus vobiſcum* in deteſtationem proditoriæ ſalutationis Judæ; omittitur *Gloria tibi Domine*, quia ſummus Rex gloriæ ſuſtinuit opprobrium factus in parabola, & abjectio plebis.

XXXV. Celebrans & diaconus dum pronuntiant *Paſſio Domini noſtri* non ſignant librum, neque ſeipſos, quod in aliis etiam diebus erit ſervandum. Diaconus vertit celebranti folia miſſalis.

XXXVI. Ad verba *Tradidit ſpiritum* celebrans privatim legens in miſſa ſolemni debet genuflectere unico genu verſus librum; Dum autem eadem verba ab Evangeliſta cantantur, priuſquam ea verba proferantur, deſcendit cum mini-

ſtris

ſtris ad medium altaris uſque ad ſecundum gradum, & cum miniſtris genufleĉtit utroque genu ſuper ſuppedaneum, nec prius ſurgunt, quam ſurrexerit Evangeliſta.

XXXVII. Celebrans, lecta Paſſione, ſtans ſemper in cornu epiſtolæ, vertit ſe ad cantores tenens dextera manu palmam, ſiniſtra pectori admota, ſicut & miniſtri, diaconus a ſiniſtris celebrantis ſuper ſecundum gradum, ſubdiaconus ſuper gradum infimum a ſiniſtris diaconi. Ad nomen *Jeſu* omnes caput inclinant verſus Crucem altaris. Poſt verba *tradidit ſpiritum* ab Evangeliſta cantata, Celebrans procedit ad medium altaris, ibique de more dicit *Munda cor meum*, ſubdiacono interim librum ad cornu evangelii transferente, ubi celebrans legit, non ſe ſignans, neque librum, reliquam partem Paſſionis, quæ pro evangelio habetur, aſſiſtente ſibi ſubdiacono, qui etiam reſpondet, *Laus tibi Chriſte*.

XXXVIII. Paſſione completa dicitur *Munda cor meum*, petitur benedictio omnia more ſolito; defertur etiam incenſum, ſed abſque luminaribus, quorum

lo-

loco, ubi talis viget conſuetudo, ceroferarii palmas in manibus geſtant. Liber incenſatur, non dicitur *Dominus vobiſcum;* diaconus non ſignat librum, neque ſeipſum; finito evangelio reſpondetur *Laus tibi Chriſte;* Celebrans oſculatur initium ejus partis, hoc eſt *Altera die;* poſtea incenſatur a diacono: quæ omnia, excepta incenſatione, debent in miſſis etiam privatis ſervari.

XXXIX. In miſſis privatis legitur in fine Evangelium *Quum appropinquaſſet*, ut in palmarum benedictione; in miſſis autem ſolemnibus legitur Evangelium S. Joannis *In principio &c.*

XXXX. Quanta veneratione ſuſcipiendi ſint, ac cuſtodiendi hodierni palmarum rami, vel ex eo colligi poteſt, quod refert S. Cyrillus Jeroſolymitanus in decima Catecheſi, nimirum quod in totali Jeroſolymitanæ urbis excidio, in quo juxta prænuncia Domini verba lapis non remanſit ſuper lapidem, divina providentia factum eſt, ut inter innumeras illius territorii arbores una tantum ſervaretur illæſa palma illa de qua hebræorum

rum

rum turba in ſolemni Servatoris noſtri triumpho ramos cæciderant.

Prædictæ functiones licite fiunt in aliis etiam Eccleſiis, neque poſſunt a Parochis impediri, ſicut etiam benedictiones candelarum, & cinerum.

## §. III.

### *Feria V. in Cœna Domini.*

I. ALtare majus ornetur ſolemniter pro miſſa pretioſioribus paramentis albis, reliqua vero altaria cum violaceis; immo & ipſum altare majus, dum dicuntur horæ incluſive, pallio veſtiatur violaceo, ſicut & ejus Crux.

II. Poſt nonam removetur pallium violaceum, & ſubintrat album; apponitur etiam alia Crux albo velo cooperta. Baldachinum ſit album, & pretioſum.

III. In presbyterio ponatur ad cornu epiſtolæ Crux proceſſionalis violacea, cum velo haſtæ pariter violaceo.

IV. Stolæ pro Sacerdotibus communicatu-

caturis albæ ſint, ſi fieri poteſt, ſin minus rubræ.

V. Ad miſſam omnes altaris accenduntur candelæ, vel ſaltem ſex albæ ceræ. Celebretur, quantum fieri poteſt, ab Eccleſiæ ſuperiore certe ſolemniſſime.

VI. Non dicitur *Judica me Deus*, nec *Gloria Patri* ad introitum, & lavabo. Dicitur autem *Gloria in excelſis*, quia gaudent Angeli ſuper peccatores pœnitentiam agentes, qui nunc invitantur ad veniam, & tunc pulſantur campanæ majores, & minores, & organa poſt verbum *Deo*, deinceps vero non amplius, niſi in ſabbato ſancto.

VII. Unica tantum dicitur oratio.

VIII. Cantores in choro ita moroſe cantent graduale, ut celebrans commode poſſit Evangelium legere, incenſum, & diaconum benedicere, aliaque pro Evangelio cantando peragere.

IX. Ad Evangelium deferuntur luminaria, & incenſum more ſolito; petitur etiam benedictio. Poſt Evangelium defertur liber oſculandus a celebrante, qui ſtatim incenſatur, mox intonat *Credo*. Sedet more conſueto.

X. No-

X. Nota hic quod apertum Evangelii codicem Sacerdos oſculatur, ad ſignificandum, quod Sacerdoti nuda, & aperta debent eſſe, quæcumque ſunt in lege, quare *Luc.* 8. 10. *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei, & Malach.* 2. 7. *labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus*, nempe ſubditi. Oſculatur, quia debet charitatis amore, cujus ſymbolum eſt oſculum, ardere erga illum, cujus evangelica doctrina recitata eſt. Seſſio vero, ſignificat Chriſti Domini poſt aſcenſionem ſuam ad dexteram patris ſeſſionem, ſedes quippe victoris eſt, unde ſeſſio Sacerdotis victoriam Chriſti deſignat. Seſſio miniſtrorum denotat ſeſſionem illorum, de quibus dicitur *Matth.* 19. 28. *ſedebitis, & vos, ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſrael*; qui vero in choro laborant, illos, qui adhuc in mundo peregrinantur.

XI. Item nota, quod ſtatim poſt libri oſculum incenſatur Sacerdos, ad oſtendendum, quod Sacerdotis maxime officium eſt, ignitum orationis ſacrificium, quod per incenſum ſignificatur, Chriſto Domino offerre, non tantum in expiatio-

nem delicti, verum etiam in gratiarum actionem.

XII. Hodie duæ conſecrantur hoſtiæ. Hoſtia ſumenda in miſſa ponitur in medio, quæ vero reſervanda eſt, collocatur ſuper corporale verſus cornu evangelii e regione alterius.

XIII. Incenſantur oblata, celebrans, ac reliqui omnes more ſolito.

XIV. Præfatio de Cruce, infra actionem *Communicantes*, *Hanc igitur*, *Qui pridie* propria.

XV. Paulo ante conſecrationem deferantur funalia uſque ad proceſſionem incluſive accenſa.

XVI. Ad elevationem non pulſatur tabella, nec ad hodiernam, & craſtinam proceſſionem.

XVII. *Agnus Dei* dicitur; pax vero non datur in deteſtationem oſculi Judæ. Dicuntur tamen tres orationes conſuetæ ante Communionem, ante quarum primam locum mutant miniſtri cum debita genuflexione in medio, accedente diacono ad librum, ſubdiacono ad ſacerdotis dexteram. Excipe niſi adſit presbyter

ter aſſiſtens, tunc enim miniſtri non mutant locum.

XVIII. Unam ex hoſtiis conſecratis Celebrans ſumit, alteram reſervat pro die craſtina, in qua non conficitur Sacramentum. Reſervat etiam aliquot particulas conſecratas pro infirmis; ſanguinem vero totum ſumit, & ante digitorum ablutionem ponit hoſtiam reſervatam in alio calice.

XIX. Sumpta igitur a celebrante utraque ſpecie, ſubdiaconus palla cooperit calicem, quem retrahit verſus cornu evangelii, ſed non extra corporale; tum diacono ad dextram celebrantis accedente cæremoniarius, aut alius cappellanus accedit ad credentiam, unde pro ſervanda Hoſtia majori accipit alium calicem, quem palla, & patena parvoque albo velo coopertum defert per breviorem viam ad altare, ubi calicem tradit diacono, qui illum accipit, diſcooperit, aufert ab eo pallam, & patenam, & ſic diſcoopertum ſuſtinet ante celebrantem, qui adorato unico genu Sacramento, indice, ac pollice dexteræ immittit Hoſtiam in calicem, itaut poſſit die ſequenti faciliter ex-

extrahi. Quo facto iterum genuflectit unico genu, retrahitque ſe ad evangelii partem ante altare genuflectens, ubi genuflectit etiam ſubdiaconus a ſiniſtris celebrantis. Diaconus vero accedens omnino ad medium altaris, calicem in medio corporalis depoſitum palla cooperit, ac deſuper patenam collocat inverſam, poſtea parvum velum album, & ſic calicem undequaque coopertum ponit in medio altaris prope ſecretorum tabellam, itaut relinquatur pyxidi locus pro communione cleri ac populi, quæ ſtatim fit.

XX. Cleri communio hodie facienda eſt, S. R C. 17. *Septemb.* 1608.; idque in memoriam quod Chriſtus Dominus communicavit Apoſtolos. Quare ſi pyxis in altari ſit, diaconus ſtatuit eam in medio corporalis ante calicem; ſi vero ſit in tabernaculo, extrahit illam cum genuflexione ante, & poſt. Hinc in planum epiſtolæ deſcendit, ibique profunde inclinatus, aliquantulum etiam verſus Celebrantem, facit alta voce confeſſionem junctis manibus.

XXI. Dum diaconus deſcendit, Celebrans, ſurgente, ac ſtante poſt ipſum

ſubdiacono, ſurgit, accedit ad medium, genuflectit, pyxidem aperit, ac terminata diaconi confeſſione, genuflectit iterum, retrahenſque ſe aliquantiſper ad partem evangelii, converſus ad populum dat de more abſolutionem, voce quidem intelligibili, ſed non alta. Mox genuflectit, accipit pyxidem, & converſus ad communicandos dicit in medio altaris more ſolito: *Ecce Agnus Dei. Domine non ſum dignus;* tum communicat diaconum, & ſubdiaconum in ſecundo gradu ante altare genuflexos, qui ſumpta communione, factaque genuflexione, ſtatim ad latera celebrantis redeunt, diaconus a dextris, ſubdiaconus a ſiniſtris. Inde Celebrans communicat ſacerdotes, & clerum per ordinem ante altare, populum vero extra: *Concil. Toletan. IV.* Presbyteri communicant cum ſtola de collo pendente, quæ tamen ſi omittatur, non erit mortale; id enim ſit ex decentia, non ex obligatione peccati.

XXII. Quando confeſſionem diaconus facit, cæremoniarius accipit a credentia velum oblongum, vadit cum duobus acolythis ad medium altaris, ubi cum illis ge-

genufle&ct;it utroque genu, & poſtquam diaconus, & ſubdiaconus in ſecundo genuflexerint gradu, ſurgit cum iisdem acolithis, qui genufle&ct;unt aut ſuper ſecundum gradum, aut ſuper ſuppedaneum, prout commodius expedire judicaverint, unus in cornu epiſtolæ, alter in cornu evangelii, itaut invicem ſe reſpiciant, & ſic ſtabunt per totam cleri communionem, velum oblongum tenentes ante communicaturos extenſum.

XXIII. Adſit acolythus cum cotta portans in ſiniſtro manutergium, & cum dextera vitreum vas pro purificandis clericis, ac populo, ſacerdotes enim, ac levitæ debent ad aliquem conſecratum calicem purificari: quare alter adſit clericus, qui ſit ad minimum ſubdiaconus cum cotta tantum, porrigens dextera calicem, ſiniſtra manutergium.

XXIV. Terminata cleri communione acolythus velum retrahit oblongum, genufle&ct;it, ac revolutum ſuper brachium ſiniſtrum deponit illud ſuper credentiam.

XXV. Inde Celebrans ad cancellos deſcendit medius inter ſacros miniſtros com-

municaturus laicos. A dextris ſubdiaconi ſtat acolythus ablutionis.

XXVI. Completa populi communione Celebrans revertitur ad altare, pyxidem ſuper corporale deponens; mox retrahente ſe, ac genuflectente, & poſt eum ſubdiacono, ut ſupra, diaconus accedens ad medium genuflectit, pyxidem cooperit, iterum genuflectit, aperit tabernaculum, rurſus genuflectit, ac repoſita in tabernaculo pyxide denuo genuflectit, & oſtiolum claudit, calicem vero Hoſtiæ reſervatæ reducit ad medium.

XXVII. Tum Celebrans ſurgens redit ad medium. Si in calice miſſæ reperiantur ſpecies ſanguinis unitæ, eas reverenter ſumit, ac ſtatim dicit: *Quod ore ſumpſimus Domine*, interim e medio altaris exigit vinum in ſuo calice miniſtrandum a ſubdiacono, ſumit ibidem purificationem, & facta genuflexione accedit ad cornu epiſtolæ in loco ſolito, non autem extra gradus, abluit digitos in calice, & rediens ad medium, iterum genuflectit, & ablutionem ponit, ac relinquens ibi calicem a ſubdiacono extergendum, ve-

veſtiendumque de more, vadit ad cornu epiſtolæ lecturus communionem, & complet miſſam.

XXVIII. Celebrans genuflectit quandocumque accedit, aut recedit a medio altaris, vel tranſit ante Sacramentum in calice reſervatum. Qui dicit *Dominus vobiſcum* non vertit ſe ad populum in medio, ne terga vertat Sacramento, ſed a latere evangelii, ibique in fine dat benedictionem circulum non perficiens, ſed ſtatim vertitur ad altare ſine genuflexione, legens in loco ſolito Evangelium S. Joannis: quæ omnia in ſimili caſu tum a celebrante, tum a miniſtris ſervanda ſunt.

XXIX. Dicitur *Ite miſſa eſt;* datur benedictio; legitur S. Joannis Evangelium, in cujus initio celebrans non ſignat altare, ſed ſeipſum tantum, ſi memoriter recitet; nam ſi legat Evangelium in libro, ſeu tabella, non ſignat tantum ſe, verum etiam librum, ſeu tabellam, *Hippolytus a Portu* hic. Ad *Verbum caro* genuflectit cum miniſtris paulo verſus Sacramentum.

XXX. Finita miſſa alius adſit ſubdia-

conus alba tonicella paratus abſque manipulo pro deferenda Cruce.

XXXI. Dicto ultimo Evangelio, Celebrans in medio altaris facit unico genu reverentiam Sacramento, retrahit ſe ad cornu epiſtolæ, inde in planum deſcendit, ubi albo pluviali indutus, per planum aperto capite ad altaris medium cum miniſtris procedit, ibique omnes in plana terra genuflectunt utroque genu, ſimulque caput inclinant, ſurgunt, celebrans genuflectit in ſuppedaneo, & omnes parumper orant.

XXXII. Subdiaconus cum Cruce numquam genuflectit, ſicut nec ceroferarii.

XXXIII. Duo parentur thuribula, ſed una tantum navicula.

XXXIV. Ante proceſſionem clerus genuflectit in presbyterio ſemicirculum formans. Digniores ſtent altari proximiores.

XXXV. Poſt brevem orationem ſurgens Celebrans retrahit ſe paululum ad cornu evangelii, imponit duobus in thuribulis incenſum; navicula miniſtratur ſine oſculis, & incenſum non benedicitur.

XXXVI. Poſito incenſo Celebrans in me-

medio genuflexus ter cum uno ex thuribulis graviter incenſat, facta ante, & poſt reverentia profunda, nihil dicens. Mox accipit velum oblongum.

XXXVII. Poſt impoſitum velum diaconus aſcendit ad altare, genuflectit ſuper ſuppedaneum, renes aliquantiſper vertens ad partem epiſtolæ, ne terga vertat Celebranti, ſurgit, accedit ad medium, ligat in pede ligulis velum parvum calicis, quem dextera reverenter accipit per nodum, ſiniſtra vero tenet illius pedem, & per ſiniſtrum latus ſuum convertit ſe ad celebrantem genuflexum, & ipſe diaconus ſtans reverenter porrigit celebranti genuflexo, qui ſiniſtra accipit calicem per nodum, dextera ſuper impoſita parvo calicis velo. Tunc diaconus extremitatem oblongi veli ſuper dexteram celebrantis extendit, iterumque genuflectit, ut Sacramentum adoret; quare celebrans poſt acceptum calicem aliquantulum conſiſtet, ac ſtatim ſurgens aſcendit ad altare ſuper ſuppedaneum, ubi calicem tenens ambabus manibus elevatum ante oculos, convertit ad populum faciem, miniſtris pluvialis fimbrias

hinc inde elevantibus, diacono a dextris, ſubdiacono a ſiniſtris.

XXXVIII. Tunc, non prius, cantores intonant genuflexi *Pange lingua glorioſi*, inde poſt verba *Corporis myſterium* ſurgunt omnes, & inchoatur proceſſio, præcedentibus ante Crucem laicis, ſi qui ſint, cum facibus accenſis. In hymno aliqua interponatur pauſa, attenta longioris, aut brevioris viæ diſtantia. Verſus *Tantum ergo* non cantatur niſi Celebrante ad præparatum locum pervento: parandus eſt enim locus aptus in aliqua Eccleſiæ cappella, vel altari, quantum fieri poteſt, velis, & luminibus ornatus, ubi calix cum Sacramento eſt collocandus.

XXXIX. Uſque dum Celebrans baldachinum ſubeat, interim decens umbella ſuper Sacramentum extendatur.

XXXX. Procedit igitur Celebrans medius inter diaconum a dextris, ſubdiaconum vero a ſiniſtris ſub baldachino, duobus acolythis Sacramentum continuo incenſantibus uſque ad locum, ubi pro craſtino eſt reponendum.

XXXXI. Duo hic nota; primum quod hodierna, & craſtina die maxime convenit,

nit, ut baldachini haſtæ ab eccleſiaſticis cum pluvialibus deferantur; quod ſi pluvialia deſint, non ideo ſtolas induant, cottis tantum, & habitu ſuo chorali indutis. Alterum, quod acolythi incenſantes hinc inde ante Sacramentum procedant, moventes manibus ſuis dexteris effumantia thuribula, quaſi ſternendo viam Sacramento cum odore incenſi: procedant autem extra baldachinum facie quaſi ad ſe invicem verſa, ne terga vertant Sacramento. Si fumus deficiat, addatur thus.

XXXXII. In proceſſione Celebrans defert Sacramentum elevatum quaſi ante oculos, quos in illud fixos modeſte tenet. In Sanctiſſimi proceſſione non cantat, ſed cum miniſtris recitat ſubmiſſa voce *Pange lingua*, additis pſalmis, & hymnis. Adſint hinc inde circa baldachinum quatuor, ſeu duo ſaltem funalia accenſa. Baldachinum relinquatur ad ingreſſum cappellæ, in qua paratum eſt, ut ajunt, ſepulcrum.

XXXXIII. Quum ventum fuerit ad locum paratum, thuriferarii ceſſant a thurificatione, Celebrans autem cum mini-

niſtris aſcendit ante ſupremum altaris gradum, diaconus in ſuppedaneo genufleſtens, quaſi terga ad altare vertens in cornu epiſtolæ removet oblongum velum, quod Sacerdotis manus cooperiebat, reverenter accipit ſine oſculis calicem de manu Sacerdotis ſtantis, ſurgit, & ad celebrantem converſus paululum expectat, donec Sacramentum celebrans adoraverit, quod in ſimili caſu faciendum ſemper eſt. Mox calicem ſuper altare collocat, & facta genuflexione deſcendit.

XXXXIV. Depoſito, & adorato in manu diaconi Sacramento Celebrans ſtatim oblongum exuit velum, ſurgit, incenſum in unum ex thuribulis imponit, nihil dicens, & abſque benedictione. Tum genuflexus ter Sacramentum incenſat, facta ante, & poſt inclinatione profunda. Interim, non prius, dicitur *Tantum ergo*. Celebrans autem ita moroſe incenſat, ut incenſationem protrahat uſquead *veneremur cernui* incluſive, quod ſemper eſt in pari caſu ſervandum.

XXXXV. Incenſato Sacramento, diaconus facta genuflexione accipit calicem, quem reponit ſuper corporale in capſula,

in

in qua poſtea reponenda eſt pyxis cum particulis reſervatis. Antequam capſulam claudat, iterum genuflectit: dum autem hæc a diacono peraguntur, omnes orant.

XXXXVI. Capſula ſit in modum arcæ, ſive ſepulcri potius inargentata intus & extra, quam inaurata ex more almæ Urbis, & cappellæ Pontificiæ. Locetur in loco eminenti, quo per gradus aſcendatur, ſub baldachino albo. In anteriori capſulæ parte non ſit feneſtella vitrea, quia apparere Sacramentum non debet; in fundo capſulæ mundum extendatur corporale.

XXXXVII. Poſt brevem orationem Celebrans cum omnibus aliis ſurgit, & ſimul omnes genuflectunt unico genu, & candelas extinguunt. Celebrans, & miniſtri caput tegunt.

XXXXVIII. Proceſſio in Cœna Domini, ſicut etiam in Paraſceve debet omnino fieri intra eccleſiam, non extra. S. Ep. C. 6. *Auguſti* 1591. nec in ea pulſatur lignea tabella.

XXXXIX. Particulæ pro infirmis reſervatæ deferuntur cum luminibus a Sacerdote ſuperpelliceo, ſtola alba, & velo

lo oblongo induto ad locum, ubi Hoſtia conſecrata reſervatur. Cæterum pyxis cum prædictis particulis reponenda eſſet ſeparatim in alio aliquo decenti loco ab eccleſia ſeparato, vel in aliquo tabernaculo exiſtente in ſacrario, & SS. Sacramento hic aſſervato genuflectendum eſt his diebus utroque genu.

L. Ablata pyxide, oſtium tabernaculi maneat apertum, ne populus ibi adoret, quod amplius ibi non adeſt. Lumina per eccleſiam extinguantur; auferatur album velum e Cruce majoris altaris, quæ violaceo tegatur.

LI. Clavis Sacramenti laico quantumvis nobili minime tradatur S. R. C. 30. *Januar.* 1610. & in Civitatem 22. *Decemb.* 1631. in Caurienſi 1632. in Calaguritana 13. *Septemb.* 1642. niſi contraria immemorabilis adſit conſuetudo in toto aliquo Regno, ut in Hiſpalenſi 28. *Martii* 1637. quod etiam ſervatur Romæ in eccleſia S. Jacobi Hiſpanorum, in tota Hiſpania, & in toto pene Siciliæ Regno. *Pignatt. tom.* 6. *conſult.* 87.

LII. Poſt hæc in choro dicuntur veſpe-

ſperæ, ſine cantu quidem, ſed moroſe, ac devote candelis ardentibus.

LIII. Poſt veſperas denudantur altaria. Celebrans depoſitis paramentis albis indutus violacea ſtola in modum Crucis ante pectus tranſverſa: diaconus cum ſtola pariter violacea ſuper humerum ſiniſtrum: ſubdiaconus in ſolis albis, abſque manipulis, procedunt omnes unus poſt alium præeuntibus clericis, manibus junctis, ad altarium denudationem. Quum ad altaris majoris pervenerint medium, celebrans, & miniſtri caput aperiunt, omneſque genuflectunt, excepto celebrante, qui ſe tantum Cruci profunde inclinat. Accedens autem ſuper ſuppedaneum celebrans cum miniſtris removet totaleas, pallium, & alia ornamenta, quæ ſtatim reportantur a clericis in ſacriſtiam; relinquuntur autem ſuper altare Crux violaceo tecta, & candelabra.

LIV. Hæc autem denudatio deſignat, quod Chriſtus Dominus fuit in Cruce non materialibus tantum veſtimentis; ſed divinitatis etiam gloria nudatus, unde *pſalm.* 21. *Deus Deus meus quare dereliquiſti me?* Item ſignificat Apoſtolorum

a Do-

a Domino receſſum, unde *Pſalm.* 17. *Qui juxta me erant de longe ſteterunt*, & *Matth.* 26. 56. *Omnes relicto eo fugerunt;* hinc tertia die cooperitur altare, quia poſt ejus reſurrectionem diſcipuli ad ipſum redierunt.

LV. Antequam Sacerdos inchoet altarium denudationem, incipit alta voce antiphonam *Diviſerunt* quæ duplicatur; deinde chorus incipit pſalmum *Deus Deus meus*, quem alternatim proſequitur cum pauſa, & cantu ita moroſe, ut toti omnino inſerviat denudationi, prout plura, ſeu pauciora erunt altaria denudanda, adeout ſtatim finiatur ad ultimi altaris denudationem, nec, ſi multa fuerint altaria, repetatur. Celebrans cum miniſtris ſubmiſſa, ſed intelligibili voce pſalmum prædictum recitat; quo completo repetitur antiphona, & omnes ad ſacriſtiam revertuntur.

LVI. Ubi mandatum fit de mane, ſignum ſalutationis Angelicæ detur, finito mandato, lignea tabella.

LVII. In Cœna Domini prohibentur omnino miſſæ privatæ tam in eccleſiis, quam in oratoriis publicis, & privatis

S. R. C.

S. R. C. 8. *April.* 1713. permittitur una tantum ſolemnis, ubi, ex conſueto, fiunt ſacræ functiones ad Romani miſſalis præſcriptum. Immo in eccleſiis, in quibus non aſſervatur SS. Sacramentum prohibetur miſſæ celebratio, & Sanctiſſimi aſſervatio in ſepulcro S. R. C. 28. *Januar.* 1719. *& conſtit. Synod. Piſtorien. Diæceſ.*

LVIII. Quando in Cœna Domini occurrit Annuntiatio B. M. V. adeſt præceptum abſtinendi ab operibus ſervilibus, & audiendi miſſam S. R. C. 3. *Septemb.* 1692. & 13. *Septemb.* 1716. atque adeo plures eo die celebrandæ ſunt miſſæ, tot ſcilicet, quot ſufficere poſſint, ut populus præcepto audiendi ſacrum ſatisfaciat, ita tamen, ut hora ſolemnis actionis incipiendæ ceſſent ubique miſſæ privatæ. In miſſa ſolemni Celebrans, quamvis ſit Epiſcopus, cum miniſtris, etiamſi ſedeant, genuflectunt cum omnibus de choro ad verba *Et incarnatus eſt*, licet miſſa non dicatur de B. M. V.

LIX. Si hodie occurrat feſtum S. Joſeph, quoad præceptum vacandi ab operibus ſervilibus, & audiendi miſſam, ſervetur ut in feſto Annuntiationis hac die

oc-

occurrentis S. R. C. 13. *Septemb.* 1692.

LX. Poſt completorium in Cœna Domini, & in Paraſceve non dicitur *Pater*, *Ave*, & *Credo*.

LXI. Hac die vetus finem habuit teſtamentum, & novum incæpit, unde illud *Matth.* 26. 28. *Hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti*, quod craſtina die fuit in morte Domini confirmatum. *Ad Hebræos* 9. 17. Feria iſta fuit ab antiquis patribus appellata *Natalis calicis*. Et S. Eligius Epiſcopus *hom.* 19. *tom.* 2. 2. *edit. Bibliot. Patr.*, rationem addit: eo quod hodie calix ab uſu profano fuit a Chriſto Domino ad uſum ſacrum translatum.

Non eſt autem tollenda e vaſis eccleſiæ aqua benedicta, ſed adhuc eſt ſervanda, tam in hac feria V. in Cœna Domini, quam in Paraſceve, ſicut mos eſt omni alio tempore; quia hoc foret novum ritum inducere, quod ſine auctoritate Romanæ Eccleſiæ fieri nequit. Videatur P. Cajetanus Merati in eruditiſſimis & elaboratiſſimis obſervationibus ſuis ad Gavantum.

§. IV.

## §. IV.

*Feria VI. in Paraſceve.*

I. ALtare ſit nudum, nihil aliud habens, quam Crucem nigro, ſeu violaceo velo coopertam, & ſex candelabra coloris obſcuri cum ſuis candelis extinctis ceræ communis.

II. Crux diſcooperienda debet eadem eſſe, quæ eſt inter candelabra ante oſtiolum tabernaculi, niſi ſit admodum incommoda; debet autem Crucifixi imaginem habere.

III. In altaris gradibus tres adſint cuſſini coriacei, vel ex alia materia etiam lanea coloris violacei, non autem ex iis, qui ſunt ad uſum miſſalis. Cuſſinus pro Celebrante ponatur ſuper ſecundum altaris gradum, numerando a plano; nec altaris gradus debent nigro panno veſtiri, quia id ſolemnitatem redolet.

IV. Ad latus epiſtolæ loco ſolito tres adſint ligneæ ſedes nudæ pro Celebrante & miniſtris; ab evangelii vero parte tria

diſponantur nuda legilia pro paſſionis cantoribus in plano cappellæ.

V. Credentia ſit nuda, mundo tantum linteo in ſuperiori parte cooperta.

VI. Violaceus etiam tapes adſit cum ſuo cuſſino pariter violaceo, & alio velo oblongo, quod ſi fieri poteſt, violaceo ſit ornatum ſerico ad ponendam Crucem pro adoratione.

VII. Finita nona, Sacerdos cum miniſtris, nigri coloris paramentis indutis, procedunt ad altare unus poſt alium, præeuntibus acolythis abſque luminaribus, & abſque incenſo, omneſque etiam clerici jungunt manus.

VIII. Celebrans quum pervenerit ad altare, omnes genufleſtunt ante infimum gradum, prout ad miſſam ſolemnem, ipſe vero utraque genua deponit ſuper primum altaris gradum, miniſtri in plana terra ante infimum gradum. Sic genuflexi proſternunt ſe ſuper altaris gradum, ponentes brachia, & caput ſuper cuſſinum: quo tempore omnes in choro genufleſtunt, & caput inclinant orantes; quod & populus deberet in eccleſia ſerva-

vare. Manet in oratione Sacerdos per ſpatium unius miſerere.

IX. Interim acolythi extendunt ſuper altare unam tantum tobaleam, tantillum a lateribus, & ab anteriori parte pendentem, per quam ſindon, qua Chriſti Domini corpus fuit involutum, demonſtratur; in cornu autem epiſtolæ ponunt miſſale ſuper nigro cuſſino apertum.

X. Oratione facta Sacerdos aſcendit cum miniſtris ad altare, quod ipſe oſculatur in medio, genuflectentibus de more miniſtris, poſtea in cornu epiſtolæ ſubmiſſa voce legit abſque titulo prophetiam cum tractu; cantor autem legit in tono feriali prophetiam in loco, ubi canitur epiſtola, poſtquam cæpit eam legere Celebrans, non prius. Non reſpondetur *Deo gratias*. Cantor non oſculatur manum Sacerdotis, qui ſtatim dicit in cornu epiſtolæ abſolute *Oremus*, non præmiſſo *Dominus vobiſcum*. Tum diaconus primus omnium genuflectens, omnibus aliis poſt ipſum genuflectentibus, excepto ſolo celebrante, dicit: *Flectamus genua;* mox ſubdiaconus primus omnium ſurgens dicit: *Levate;* quod ſemper in

pari caſu ſervatur. Celebrans extenſis manibus cantat orationem, ſtantibus omnibus in choro capite inclinato. Miniſtri ad orationem ſtant, ut in miſſa; ad prophetiam vero, ut ad introitum miſſæ ſolemnis, ſed non junctis manibus.

XI. Lectionem ſubmiſſa voce Sacerdos legit, dum canitur a ſubdiacono. In fine non dicitur *Deo gratias*, nec ſubdiaconus manum ſacerdotis oſculatur, ſed aſſumpta iterum planeta plicata vadit ad locum ſuum more ſolito.

XII. Duæ leguntur lectiones, quia pro duobus populis Chriſtus Dominus paſſus eſt, gentili, & hebraico, & pro ſalute tum animæ, tum carnis; leguntur autem ſine titulis, quoniam amiſimus Chriſtum caput noſtrum: & omittitur *Deo gratias* in mæſtitiæ ſignum.

XIII. Finito tractu, illico dicitur Paſſio, quæ a cantoribus dicitur ſuper nudum pulpitum, quia ſuper nudum Crucis patibulum nudus poſitus fuit Chriſtus Dominus. Olim nudis etiam legebatur pedibus, ut cum afflicto pro nobis Domino debere nos affligi monſtraretur.

Sto-

Stolæ, & manipuli eorum, qui cantant paſſionem, ſint nigri coloris.

XIV. Dum cantores incipiunt paſſionem, Celebrans aſtantibus miniſtris, ut ad introitum miſſæ, legit eamdem ſubmiſſa voce in cornu epiſtolæ, genuflectens unico genu verſus librum ad verba *Tradidit ſpiritum*.

XV. Lecta in cornu epiſtolæ Paſſione, Celebrans convertit ſe totum ad cantores, prout ad Evangelium; diaconus ſtat a ſiniſtris celebrantis ſuper ſecundum gradum; a ſiniſtris autem diaconi ſubdiaconus ſuper infimum gradum junctis manibus uſque ad finem paſſionis. Ad nomen *Jeſu* caput inclinant verſus Crucem, & ad verba *Tradidit ſpiritum* ab Evangeliſta prolata genuflectunt, ut in dominica palmarum. Mox celebrans ſurgens redit ad cornu epiſtolæ, ubi inclinatus verſus Crucem, non autem in medio, dicit *Munda cor meum*, omiſſo *Jube Domine benedicere*, & ſtatim ſubdit in ipſo epiſtolæ cornu reliquam paſſionis partem, quæ pro Evangelio habetur.

XVI. Finita paſſione, cantores facta prius Cruci altaris genuflexione ſuper in-

ſimum gradum, & a clericis in plano, ac deinde Celebranti inclinatione, prout fecerunt ante paſſionem, redeunt in ſacriſtiam manibus junctis. Dum genuflectunt ante altare tam in acceſſu, quam in receſſu, qui Chriſtum repræſentat ſtabit in medio, a dextris qui Evangeliſtæ perſonam gerit, a ſiniſtris qui turbarum. Tunc amoventur e presbyterio legilia.

XVII. Diaconus interim cum cæremoniario vadit ad credentiam, ubi plicatam deponit planetam, & ſuper ordinariam ſtolam accipit nigram laxiorem diaconalem, vel ejus loco, ſi haberi commode nequeat, aliam planetam convolutam, & loco ſolito canit partem, quæ pro Evangelio ponitur. Dicit more ſolito *Munda cor meum*, ſed benedictionem non petit. Luminaria non deferuntur, nec incenſum. Acolythi manibus junctis medium habent ſubdiaconum, qui librum ſuſtentat. Diaconus non ſignat librum, neque ſeipſum; Celebrans in fine non oſculatur librum, nec incenſatur; quare completa Evangelii parte, omnes facta de more in altaris medio genuflexione vadunt

dunt ad loca ſua. Diaconus autem plicatam planetam non reſumit, niſi in fine officii.

XVIII. Tunc miniſtris uno poſt alium ſtantibus, ut ad orationes miſſæ, ac junctis manibus, Celebrans incipit abſolute in cornu epiſtolæ *Oremus Dilectiſſimi.* Monitiones cantat manibus junctis, orationes vero extenſis manibus in tono feriali, nec umquam genuflectit. Dum orationibus præmittit *Oremus* extendit, ac jungit manus.

XIX. Vacante ob Imperatoris mortem imperio, dicitur in oratione *Oremus, & pro Romano imperio, ut Deus &c.*

XX. Dum dicuntur ultimæ orationes, acolythi extendunt a parte Evangelii tapete ante gradus altaris, itaut pars ſuperior ſit ſuper primos illius gradus, ſi duo tantum ſint gradus, quod ſi plures ſint, ad gradum ſecundum pertingat. In ſecundo gradu collocant cuſſinum pretioſum, & ſuper cuſſinum extendunt velum oblongum album.

XXI. Completis orationibus Celebrans deſcendit extra cornu epiſtolæ, ubi cum ſubdiacono deponit planetam, & mani-

pulum S. R. C. *in Toletana* 15. *Septemb.* 1736. Tum celebrans medius inter miniſtros accedit ad angulum poſteriorem cornu altaris a parte epiſtolæ, ibique in ſecundo gradu verſa ad populum facie quaſi collateralis candelabris, quæ ſuper altare ſunt, habens ſubdiaconum a ſiniſtris. Diaconus per planum procedit ad medium altaris, ubi facta ſuper infimum gradum genuflexione Cruci unico genu, eam accipit, ſibi ſuper infimum gradum genuflexo porrectam ſine oſculis a cæremoniario adhuc coopertam, quam reverenter defert per planum ad celebrantem, cui illam porrigit ſine oſculis. Celebrans ſtans in medio miniſtrorum, facie Crucifixi ad populum verſa, Crucem ſiniſtra tenet, dextera in ſummitate diſcooperit uſque ad lignum tranſverſum, ita tamen ut Crucifixi caput minime appareat. Diſcooperta ſummitate, Crucem ambabus elevat manibus ob oculorum altitudinem. Omnes in choro ſtant nudo capite. Celebrans ſolus incipit *Ecce lignum Crucis*, ac in reliquis juvatur in cantu a miniſtris uſque ad *Venite adoremus* excluſive. Choro ergo canen-

nente *Venite adoremus*, omnes præter celebrantem genufle&ctunc utroque genu capite etiam profunde inclinato.

XXII. Poſtea Celebrans procedens locat ſe ad anteriorem partem anguli ejuſdem cornu epiſtolæ in loco, ubi dicitur introitus miſſæ, ibique diſcooperit dexterum Crucis brachium, detegendo etiam caput. Mox elevat Crucem ambabus manibus pauliſper, & altius, quam prius incipit, *Ecce lignum Crucis*, cæteris, ut ſupra, canentibus & adorantibus.

XXIII. Deinde Sacerdos procedens inter miniſtros ad medium altaris totam diſcooperit Crucem verſus populum, elevans altius quam primo & ſecundo tam Crucem, quam vocem dicens, *Ecce lignum Crucis*, reliquis canentibus & adorantibus, ut ſupra.

XXIV. Detecta Cruce, omnes aliæ Cruces in eccleſia deteguntur, nondum vero ſanctorum imagines.

XXV. Poſt hæc Sacerdos abſque ulla reverentia facta altari, ſolus defert Crucem ambabus manibus devote elevatam ad locum ante altare præparatum, deſcendens per latus evangelii, tenenſque fa-

faciem Crucifixi ad populum converſam, ſtantibus omnibus interim genuflexis utroque genu, miniſtris quidem ſuper ſuppedaneum, facie ad populum verſa, reliquis vero in locis ſuis, & genuflexus ibidem eam locat ſuper velum, & cuſſinum. Mox ſurgit, facta iterum verſus Crucem genuflexione, & depoſitis calceamentis a latere epiſtolæ prope ſcannum illi ad ſedendum paratum, ſolus accedit manibus junctis ad Crucem adorandam, ter utraque flectens genua tribus in locis diſtinctis, aliquantulum unaquaque vice orando, antequam eam deoſculetur: deoſculatur autem Crucifixi pedes. Adorata Cruce ſurgit, iterum unico genu Cruci genuflectit, & facta in medio cappellæ altari inclinatione revertitur ad ſedem ſuam, ubi accipit calceamenta, & caſulam, adjuvantibus diacono & ſubdiacono, ſedetque tecto capite. Poſtmodum adorant miniſtri, non prius. Ad unamquamque adorationem dici poteſt: *Adoramus te Chriſte, & benedicimus tibi, quia per ſanctam Crucem tuam redemiſti mundum*, vel quid ſimile.

XXVI. Diaconus adorat cum ſtola laxio-

xiori, quam non deponit, niſi in fine officii; adorat autem ſimul cum ſubdiacono in albis, qui poſt adorationem reſumit planetam plicatam. Diaconus a dextris prius, deinde ſubdiaconus a ſiniſtris Crucem oſculatur, itaut Crux ſit quaſi media inter miniſtros genuflexos; inde ſimul ſurgentes ſimul iterum Cruci genuflectunt, & tranſeuntes ante medium altaris ei ſeſe inclinant, & reſumptis calceamentis, & a ſubdiacono planeta plicata ſedent cum Sacerdote, tecto capite.

XXVII. Clerici quoque adorant, immo poſt clericos etiam laici; omnes bini, & bini, terque genibus flexis. Si numerus ſit impar, poſtremus de clero ſolus ad adorationem procedit.

XXVIII. Dum Celebrans inchoat Crucis adorationem, chorus inchoat improperia, & alia, quæ habentur in miſſali, vel omnia, vel eorum partem cantans, prout multitudo, vel paucitas adorantium requirit. Si facienda ſit repetitio, fiat ab hymno *Pange lingua*, ut in miſſali, ſed ultimus ℣. *Sempiterna ſit beatæ* dicitur tantum ſemel ad finem adorationis.

XXIX. Ce-

XXIX. Celebrans, ut ad eum miniſtri pervenerint, ſedens cum iisdem in nudo ſcamno ad id præparato legit improperia; omnes tecto capite.

XXX. Circa finem adorationis accenduntur candelæ ſuper altare, quæque habentur in candelabris; clero autem, & laicis diſtribuuntur candelæ, ſed extinctæ. Diaconus vero corporalium burſam e credentia accipiens defert ad altare, facta Cruci genuflexione, & altari inclinatione, quum nulla in eo inſit Crux, extendit more ſolito corporale, & prope illud collocat purificatorium a cornu epiſtolæ, burſam vero ad cornu evangelii loco ſolito, non autem jacentem, ut male nonnulli faciunt. Tunc etiam tranſfertur a cæremoniario miſſale ad cornu evangelii cum ſuo cuſſino.

XXXI. Crucis adoratione completa, diaconus unico genu facta eidem genuflexione illam ambabus manibus accipit, & ad oculos uſque elevatam defert ad altare, nemini, nec ipſi altari reverentiam faciens, Celebrante, ac ſubdiacono, ſi tranſeat ante illos, genuflectentibus, & inter candelabra, vel ad oſtiolum taber-

bernaculi eam collocat. Mox facta eidem iterum genuflexione per breviorem ad celebrantem redit. Ab acolythis amovetur tapes, & cuſſinus cum velo.

XXXII. Si multus adſit populus, poterit a ſacriſta, vel alio Sacerdote cum ſtola nigra collocari altera Crux ante aliud altare, ad quam adorandam tam mares, quam fœminæ accedant, ne proceſſio, & officium nimis differatur.

XXXIII. Alius adſit ſubdiaconus, non tamen cum tunicella, nec cum manipulo, ſed paratus ut ſubdiaconus miſſæ cum Cruce ſine velo. Ceroferarii deferant candelabra accenſa ceræ communis, reliqui candelas extinctas.

XXXIV. Ordinatur proceſſio ad locum, ubi pridie fuerat Sacramentum repoſitum. Itur autem ad locum deſtinatum per breviorem. Præcedunt duo thuriferarii ſine incenſo in thuribulis; ſequitur ſubdiaconus cum Cruce inter acolythos candelabra cum cereis accenſis geſtantes; deinde clerus per ordinem, ultimus Sacerdos cum miniſtris unus poſt alium, qui nunc procedunt tecto capite, quia iſte inceſſus eſt, non proceſſio, bi-

reta

reta vero deponunt ante fores ſacelli, ubi reſervatur Sanctiſſimum. Antequam autem ab altari majori diſcedant pervenientes ad medium presbyterii omnes genuflectunt etiam Celebrans. Hic autem nota, quod *Biſſ. litt. P.* 126. §. 7. vult, ut in hoc inceſſu omnes, etiam celebrans, procedant junctis manibus, & nudo capite, ob reverentiam Cruci hac die peculiariter debitam.

XXXV. Quum ventum fuerit ad locum Sacramenti accenduntur intorticia, quæ niſi poſt Sacramenti ſumptionem extinguuntur. Sacerdos & miniſtri ſtatim ingreſſi ſacellum genuflectunt utroque genu in plano unus poſt alium, profunde ſe inclinant, ſurgunt, & ad altare accedunt, ubi iterum genuflectunt cum omnibus præter ſubdiaconum cum Cruce, & ceroferarios, ac devote orant aliquantulum, ſcilicet per unum miſerere. Laici ſtent extra presbyterium.

XXXVI. Diaconus interim aſcendit ad locum, ubi facile poſſit Sacramenti capſulam aperire, & facta genuflexione unico genu capſulam aperit, eamque relinquens apertam, iterum genu-

fle-

flectit, ſed nunc utroque genu, & ad Celebrantem deſcendit. Si forte diaconus nequeat ad capſulam pertingere, tunc alius Sacerdos cum cotta, & ſtola nigra capſulam aperiat, ut ſupra. Celebrans ſurgens imponit incenſum in duobus thuribulis abſque benedictione, diacono, vel eo, ut ſupra, impedito; ſubdiacono naviculam ſine oſculis miniſtrante, & genuflexus, facta ante, & poſt inclinatione profunda, ter Sacramentum graviter incenſat, antequam e capſula extrahatur, nihil dicens. Tum accipit velum oblongum albi coloris. Interim diaconus utroque genu facta genuflexione extrahit calicem cum Sacramento, quod ſtans dat ad manus Sacerdotis genuflexi, & facit ut heri, tegitque extremitatibus veli humeralis.

XXXVII. Sacerdos accepto Sacramento ſurgit, ad ſuppedaneum aſcendit, ibique ad populum ſe convertit. Tunc, non prius, cantores intonant genuflexi *Vexilla*, defertur baldachinum albi coloris ſuper Sacramentum, duobus acolythis illud continue incenſantibus. Ordinatur proceſſio modo ſuperius explicato, eadem, qua pri-

pridie venerant, via gradientes: ſi longior fuerit proceſſio, poterit hymnus a choro repeti, ita tamen ut ultima ſtropha dicatur ſemel tantum in fine. Ad cappellæ cancellos, aut ubi non ſunt, ad ejusdem gradus removetur baldachinum.

XXXVIII. Celebrans quum pervenerit ad altare, ſtatim gradus aſcendit, ſtanſque in ſecundo gradu, ideſt proximiore ſuppedaneo, diacono, genuflexo ſuper ſuppedaneum verſus cornu epiſtolæ, reneſque eidem cornu vertenti, porrigit Sacramentum, quod coopertum in calice diaconus collocat in medio altaris ſuper corporale, genuflectit, deſcendit, & miniſtrat naviculam ſine oſculis celebranti ſtanti pro impoſitione incenſi. Clerus circumdat altare flexis genibus.

XXXIX. Dato Sacramento Celebrans genuflectit, velum exuit oblongum, & genuflexus ter ſtatim ſine benedictione Sacramentum incenſat more ſolito, nihil dicens. Poſt hanc incenſationem alter ex thuriferariis recedit, nam extra proceſſionem, & reliquiarum translationem non approbat uſum duorum thuribulorum S.R.C. *in Alexandrina* 16. *Maii* 1608.

1608. *ad* 4. *& in Lucerina* 21. *Jul.* 1618.

XXXX. Tum Sacerdos cum miniſtris aſcendit ad altare, unico genu genuflectens, diaconus amovet parvum velum a calice, poſtea facta genuflexione removet patenam, & pallam, quam ſuper corporale deponit verſus cornu epiſtolæ, iterum genuflectit, ſurgit, accipit patenam, quam ſuſtinet ambabus manibus aliquantulum elevatam ſuper corporale coram Celebrante, qui accepto calice ponit Hoſtiam conſecratam ſuper patenam; tum depoſito calice ſuper corporale verſus cornu epiſtolæ, reverenter patenam ſine oſculis de manu diaconi accipit, nihil dicens, nulloque facto Crucis ſigno, Hoſtiam in medio ſuper corporale deponit; patenam vero collocat non ſubtus corporale, ſed ſuper ipſum verſus cornu epiſtolæ. Si forte Sacramentum tetigerit, digitos abluat in aliquo vaſe. Calix non abſtergitur.

XXXXI. Interim diaconus imponit vinum in calice, ſubdiaconus vero aquam; quam Sacerdos minime benedicit, nec ſuper eam profert orationem *Deus qui humanæ ſubſtantiæ*.

XXXXII. Traditur a diacono ſine oſculis calix cum vino, & aqua; Sacerdos nihil dicens, nulloque facto Crucis ſigno, calicem ponit ſuper corporale poſt Hoſtiam, eumque diaconus nulla facta genuflexione palla cooperit. Subdiaconus patenam non ſuſtentat, ſed genuflectens redit ad ſiniſtram Celebrantis, ubi iterum genuflectit.

XXXXIII. Sacerdos imponit incenſum nihil dicens, & abſque benedictione. Diaconus nihil oſculatur. Oblata incenſantur facta ante, & poſt genuflexione. Crux non incenſatur ex Doctoribus, quia incenſato figurato, nempe Sacramento, ſuperfluum eſt incenſare figuram, ideſt Crucem. Huic tamen doctrinæ duo obſtant S. R. C. decreta; alterum 5. *Jul.* 1696., alterum vero 14. *Maji* 1707. quibus cavetur, ut poſt oblata incenſanda ſit Crux. In altaris incenſatione tranſeuntes per medium ſemper faciunt genuflexionem. Dum Sacerdos incenſat oblata dicit *Incenſum iſtud*, dum incenſat Crucem dicit *Dirigatur Domine*. Incenſata Cruce iterum genuflectit, ac more ſolito proſequitur altaris incenſationem; quando

do reddit thuribulum, dicit *accendat in nobis Dominus*. Nullus hodie, nec ipſemet Sacerdos incenſatur.

XXXXIV. Poſt altaris incenſationem Sacerdos deſcendit in planum per gradus laterales cornu epiſtolæ, ubi aliquantulum extra altare, verſa ad populum facie, manus lavat, acolytho aquam, miniſtris vero manutergium miniſtrantibus, nihil dicens. Deinde per eosdem laterales gradus redit ad altare, genuflectit; ſtatim ſurgit, ibique inclinatus in medio junctis manibus, digitis ſuper altare poſitis dicit ſubmiſſa, ſed intelligibili voce: *In ſpiritu humilitatis*; poſtea oſculatur altare in medio, genuflectit unico genu, & verſus ad populum in cornu evangelii, ne terga Sacramento vertat, dicit more ſolito *Orate fratres*, reliqua verba ſecreto proferens, cui non reſpondetur *Suſcipiat*, & per eamdem viam revertitur non perficiens circulum; iterum genuflectit, deinde aliis omiſſis dicit *Oremus præceptis ſalutaribus* junctis manibus in cantu feriali, ſed *Pater noſter* dicit extenſis manibus. Diaconus ad *Pater noſter* deſcendit more ſolito cum ſubdiacono poſt Celebrantem.

XXXXV. Poſt *Pater noſter* Sacerdos

ſub ſilentio dicit *Amen;* deinde alta voce, abſolute ſine *Oremus*, cantat eadem voce, qua *Pater noſter* extenſis manibus in tono orationis miſſæ ferialis *Libera nos quæſumus Domine*, ut expreſſe ſignificetur Chriſti Domini deſcenſus ad inferos, chorus reſpondet *Amen*. Non ſignat ſe patena. Tunc facta reverentia uſque ad terram, ſupponit erectus patenam Sacramento, quod in dextera accipiens elevat, ut poſſit a populo videri. Dum Sacramentum unica manu dextera a Celebrante elevatur, non incenſatur, ne videatur de novo conſecratum, nec tabula lignea pulſatur, nec planeta elevatur, & dum celebrans dextera elevat altius ſolito hoſtiam fixis in eam ſemper oculis, ſiniſtra ſuper corporale poſita tenet patenam, miniſtris genuflexis in ſecundo gradu æquali inter ſe diſtantia.

XXXXVI. Diaconus Calicem cooperiendo non genuflectit, niſi poſt impoſitam in eo ſacram particulam.

XXXXVII. Statim ab elevatione aſcendente ſubdiacono ad ſiniſtram Celebrantis, diacono ad dexteram, Sacerdos ſupra calicem dividit hoſtiam in tres partes,

qua-

quarum ultimam mittit in calicem more ſolito, nihil dicens, nullumque faciens cum particula ſignum Crucis S. R. C. 28. *Aug.* 1627. Tunc per diaconum cooperitur calix palla, & poſtea tam ipſe, quam celebrans, & ſubdiaconus genufle&tunt.

XXXXVIII. *Pax Domini* non dicitur, nec *Agnus Dei*, nec pacis oſculum datur.

XXXXIX. Prætermiſſis duabus primis orationibus, in quibus ſanguinis fit mentio, Sacerdos inclinatus manibus junctis ſuper altare dicit tantum ſecrete *Perceptio corporis tui*: mox genuflectit, accipit patenam cum corpore Chriſti Domini, & maxima humilitate, ac reverentia dicit ſecrete *Panem cœleſtem accipiam*, percutit ſibi pectus ter dicens more ſolito *Domine non ſum dignus*; poſtea erectus ſignat ſe cum Sacramento dicens ſecrete *Corpus Domini noſtri*, & ſumit Sanctiſſimum Corpus reverenter. Ad Sacerdotis communionem miniſtri ſtant junctis ante pectus manibus, & capite inclinato more ſolito.

L. Sumpta ſacratiſſima Hoſtia aliquantulum quieſcit in meditatione SS. Sacramenti, deinde omiſſis omnibus, quæ di-

ei ſolent ante ſumptionem ſanguinis, ſubdiacono calicem diſcooperiente, & cum celebrante, & cum diacono genuflectente, Celebrans collectis de more fragmentis reverenter ſumit vinum cum particula, nihil dicens, neque calice ſe ſignans S.R.C. 28. *Aug.* 1627. Non ſumit purificationem, ſed tantum digitorum facit ablutionem in calice cum vino, & aqua, ſubdiacono ampullas miniſtrante.

LI. Dum fit ablutio, non prius, extinguntur cerei a clero delati; immo & candelæ ceroferariorum, omneſque ſurgunt, duabus tantum candelis relictis ad altare accenſis.

LII. Exterſis digitis Sacerdos ablutionem ſumit in medio altaris nihil dicens, nec tunc, nec quando digitos abluit. Os purificatorio abſtergit, deinde ſtans inclinatus in medio altaris junctis manibus, non tamen ſuper altare poſitis, dicit ſubmiſſa voce: *Quod ore ſumpſimus*. Diaconus librum claudit, ſubdiaconus extergit calicem, plicat corporale, & in burſam reponit, omnia more ſolito. Interim diaconus, facta genuflexione deſcendit in planum, deponit ſtolam laxiorem, & ſum-

ſumpta planeta plicata, redit ad celebrantis dexteram.

LIII. Non dicitur *Corpus tuum*, nec poſtcommunio, nec *Placeat tibi S. Trinitas*, nec datur benedictio, ſed abſoluto a Sacerdote *Quod ore ſumpſimus*, facta altari reverentia, omnes in planum deſcendunt ante altare, ubi unico genu Cruci genuflectunt, acceptiſque biretis ad ſacriſtiam, quo venerant modo, revertuntur.

LIV. Dicuntur veſperæ ſine cantu, ſed cum candelis accenſis, & ab acolythis denudatur altare.

LV. Particulæ, quæ fuerunt pro infirmis pridie reſervatæ, ab aliquo Sacerdote cum cotta, & ſtola albi, non nigri coloris induto, e capſula, ſeu ut dictum eſt, e tabernaculo ſacrarii extractæ, pyxide cum extremitatibus veli oblongi cooperta, deferuntur ſub umbella, & cum cereis accenſis, & in conſueto tabernaculo reconduntur: etſi congruentius deferrentur ad aliud ſacellum in remotiori loco præparatum, ne in eccleſia ſint luminaria in matutinis ſequentibus, & Sabbati ſancti officio ultra præſcripta.

LVI. Hodie SS. Euchariſtia non poteſt, niſi infirmis adminiſtrari S. R. C. 19. *Februar.* 1622.

LVII. Velum quod tegit Sacerdotis humeros in expoſitione SS. Sacramenti ſemper debet eſſe album etiam in die Paraſceves, ſicut & baldachinum.

LVIII. Eccleſia hodie dum orat pro hæreticis, & ſchiſmaticis orat directe pro toleratis; non toleratos autem vel non comprehendit, ut territi reſipiſcant, vel ſibi ipſi diſpenſat, vel indirecte ſolum pro iis orat.

LIX. Alius Sacerdos a Celebrante poteſt hodie ex Eccleſiæ diſpenſatione conſumere Hoſtiam pridie conſecratam.

LX. Si feſtum de præcepto occurrat, non tenentur hodie fideles intereſſe ſacro, neque pro ſacro aliis functionibus, ac divinis officiis S. R. C. 19. *Februar.* 1622.

LXI. Quando igitur Annuntiationis B. M. V. feſtum cadit in Paraſceve, nihil fit de ea nec in propria eccleſia, nec ratione concurſus S. R. C. 11. *Maii* 1606. ſed transfertur in feriam ſecundam poſt dominicam in albis una cum præcepto

audiendi miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus. S. R. C. 11. *Martii* 1690. indulgentia vero non transfertur, niſi ſpecialis adſit conceſſio. S. C. 10. *Junii* 1690. Feſtum autem transfertur in prædictam diem quamvis eſſet in ea reponendum officium primæ claſſis v. g. S. Benedicti, vel S. Franciſci de Paula in eccleſia Ordinis, quæ officia transferuntur S. R. C. 11. *Martii* 1690. quum dicta dies ſit dies pro Annuntiationis feſto aſſignata. Si vero dicta feria ſecunda poſt dominicam in albis occurrat feſtum proprium dictæ diei affixum v. g. S. Franciſci de Paula, S. Iſidori, S. Vincentii Ferrerii &c. tunc Annuntiationis B. M. V. feſtum non reponitur in dicta feria ſecunda, ſed primum omnium etiam primæ, vel ſecundæ claſſis transfertur in primam aliam diem ſimiliter non impeditam.

LXII. Mos non conſecrandi in Paraſceve antiquiſſimus eſt in eccleſia, itaut in *Concil. Toletan.* 16. habito noſtræ ſalutis an. 693. ſtatutum fuerit Can. 10. quotidie pro regis incolumitate celebrandum *excepto paſſionis dominicæ die, quando altaria denudata perſiſtunt, nec cuiquam*

*in*

*in eadem die licet ſolemnia celebrare*. Cur autem hoc? Certe quia hodierna die vera hoſtia Chriſtus Dominus fuit cruenter oblata, ideo debuit hoſtia incruenta ceſſare.

LXIII. Pie vero creditur, ideo voluiſſe Chriſtum Dominum in ſexta feria paſſionem ſuam conſumare, quia ſicut primus Adam in feria ſexta peccato ſe, noſque obſtrinxit, ita ipſe ſecundus Adam pro nobis moriens, eadem die nos a peccato ſolveret, copioſa æterna redemptione inventa.

LXIV. Ferunt etiam eadem die, nempe octavo kalendas Aprilis ipſum Chriſtum Dominum mortem pro nobis ſubiiſſe, qua de Spiritu Sancto conceptus ſexta pariter feria in utero B. ſemper Virginis Mariæ carnem pro nobis aſſumpſit humanam. Quare ſicut a ſequenti Dominica omnes aliæ dies dominicæ ſunt propter Chriſti reſurrectionem privilegiatæ, ſic omnis ſexta feria propter multa, maxime vero propter Chriſti paſſionem, ſpeciali digna eſt veneratione, ſiquidem recolitur Divini Verbi incarnatio, Chriſti immolatio, mortis deſtructio,

ctio, inferni ſpoliatio, humani generis redemptio, & ſcripturarum complementum.

LXV. Sed cur Eccleſia, quæ de ſanctorum morte cum gaudio feſta celebrat, eo quod pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus, hodie mortem Domini cum mærore, & triſtitia proſequitur, quum videatur lætandum potius, & exultandum, dum mors ipſius pretioſiſſima fuit, ac noſtra redemptio, & S. Paulus gloriandum, ait, in Cruce D. N. J. C.? Verum quia propter ſcelera noſtra percuſſus, pro peccatis noſtris mortuus eſt Chriſtus Dominus, ideo ingemiſcere debemus, & erubeſcere, ne duriores videamur petris, quæ in ejus morte ſciſſæ ſunt, ne ſole intenſibiliores, qui obſcuratus eſt, ne Judæis ipſis pejores, qui percutientes pectora ſua revertebantur.

LXVI. In Paraſceve Conſtantinopoli verbum Dei extra urbem annuntiabatur, eo quod extra urbem Chriſtus Dominus hodie paſſionis improperium ſuſtinuit.

LXVII. In hodierna proceſſione per duos presbyteros amictu, alba, cingulo, ſto-

ſtola, ac manipulo indutos, qui Joſephum ab Arimathæa, & Nicodemum repræſentabant, olim Sanctiſſimum ad altare deferebatur. *Rupert. de divin. off. lib.* 6. *cap.* 23.

LXVIII. Non poteſt autem in feria VI. Paraſceves fieri de nocte proceſſio cum SS. Euchariſtia, quum ſit abuſus omnino alienus a ritu, & legitimo ſenſu S. R. E. quæ his diebus SS. Euchariſtiam occultat, adeoque jure merito hujuſmodi abuſus fuit abrogatus a S. Ep. C. 22. *Martii* 1596.

LXIX. Dicta fuit præſens dies ab Auguſtino, ac Irenæo *Cœna pura*, quia priſci fideles in hac potiſſimum die in dominicæ paſſionis obſequium, ab omni prorſus obſonio abſtinebant, aridis tantum contenti.

## §. V.

### *Sabbatum Sanctum.*

I. VEſtiuntur altaria, convenit autem majus altare duplici pallio veſtiri, violaceo nimirum ſuper album, ita-ut

ut violaceum poſſit circa Litaniarum finem cito removeri. Super altare ſex adſint candelæ ceræ albæ, ſed extinctæ uſque ad principium miſſæ. Item cuſſinus unicus habens miſſale apertum in folio, in quo incipiunt prophetiæ.

II. Ad latus epiſtolæ ſedes pro Celebrante, & miniſtris, ſicut & credentia honeſte cooperta, in cujus medio planeta violacea cum manipulo pro celebrante velo tecta violaceo.

III. In latere evangelii prope locum, ubi ſolet Evangelium cantari, cereus benedicendus cum ſuo candelabro ponetur; ante cereum legile alba veſte coopertum, ſuper illud miſſale clauſum; prope cerei candelabrum pes ligneus, aut marmoreus ad arundinem ſuſtentandam.

IV. Extra eccleſiam paretur vas cum carbonibus extinctis, & lignis aridis, ut accendi facile queant, aliiſque ad novum ignem e ſilice excutiendum requiſitis. Adſint forcipes, & candelulæ, cum lignis ſuffuratis. Locus ornetur floribus, iiſque pavimentum conſpergatur, ſicut & via, qua procedendum inde eſt ad altare.

V.

V. Ad benedicendum novum ignem ſic procedatur. Tres acolythi ſimul, in medio thuriferarius abſque igne, ſed cum navicula incenſi: a dextris deferens vas aquæ benedictæ, a ſiniſtris deferens pelviculam cum quinque granis incenſi. Poſtea ſubdiaconus violaceo indutus Crucem proceſſionalem deferens abſque ceroferariis. Sequitur clerus: ultimus Celebrans tecto capite habens a ſiniſtris diaconum, ambo violaceis induti, celebrans pluviali, vel ſine caſula, diaconus, ut etiam ſubdiaconus planeta plicata, ſed ſine manipulo; eſt enim generalis regula, ut manipulus non ſit accipiendus a diacono, & ſubdiacono, quando celebrans eo non utitur, excipe, niſi cantaturi ſint epiſtolam, aut Evangelium. Ante diſceſſum faciunt in ſacriſtia debitam Cruci reverentiam, deinde junctis manibus procedunt omnes in ſilentio, & nudo capite, præter celebrantem: & facta Cruci genuflexione, ſi tranſeant ante altare majus, excepto celebrante, & ſubdiacono Crucis, procedunt, inquam, extra eccleſiam, quo quum pervenerint, ſubdiaconus ſiſtit ſe ante portam eccle-

ſiæ

ſiæ renes januæ vertens, faciem vero ſuam, & Crucifixi imaginem vertens celebranti, qui verſa facie ad eccleſiæ januam ſtat prope credentiam ibi paratam, cum diacono aliquantulum poſt ſe a dextris, ad diaconi autem dexteram ſtant tres acolythi.

VI. Ad novi ignis benedictionem Celebrans ſtans a dextris vaſis ejusdem ignis ſuper aliquo ſcamno poſiti, junctis manibus, & nudo capite dicit abſque cantu, voce ſubmiſſa *Dominus vobiſcum*, ac tres ſequentes orationes, in quarum fine chorus ſubmiſſa voce reſpondet *Amen*. Diaconus elevat pluvialis fimbrias, quoties Sacerdos aliquid benedicit.

VII. Facta ignis benedictione adhuc extra eccleſiæ januam, vel in ipſo eccleſiæ aditu, accedit acolythus ad dexteram Celebrantis habens pelviculam cum quinque granis incenſi, quam elevatam ſuſtinet ante celebrantem, qui ſine *Dominus vobiſcum*, & abſque *Oremus* junctis manibus incipit abſolute ſine cantu *Veniat quæſumus omnipotens*; interim thuriferarius adhibitis ferreis forcibus carbones ignis benedicti immittit in thuribulum, de-

deinde accedit ad diaconi dexteram cum thuribulo, & navicula. Celebrans autem finita oratione, miniſtrante diacono navicula cum debitis oſculis imponit, ac benedicit incenſum more ſolito dicens *ab illo benedicaris*; deinde ter, hoc eſt in medio, a dextris, & a ſiniſtris aſpergit quinque grana incenſi & ignem, dicens interim ſubmiſſa voce: *Aſperges me Domine* ſine cantu, & abſque pſalmo, poſtea ter ſimiliter adolet incenſo quinque grana, novumque ignem. Interim omnia eccleſiæ luminaria extinguuntur, ut de novo igne benedicto poſtmodum accendantur: relicta tamen illa, quæ ardet ante SS. Sacramentum in tabernaculo incluſum.

VIII. Hic diaconus accipit paramenta albi coloris, nempe manipulum, ſtolam, dalmaticam; ſubdiaconus vero non aſſumit hic manipulum, ſed tantum cantato præconio, quando celebrans accipit planetam, & manipulum. Celebrans miniſtrante diacono cum ſolitis oſculis naviculam, ponit incenſum in thuribulo pro proceſſione, illudque more ſolito benedicit. Tum diaconus accipit arundinem

cum

cum tribus candelis in illius ſummitate triangulo diſtinctis, & ordinatur proceſſio. Diaconus iſte debet eſſe ille idem, qui in miſſa, & officio inſerviet, non autem alius ad hanc ſolam functionem, & ad cantandum præconium deputatus.

IX. Præcedit thuriferarius cum thuribulo fumigante in dextera, navicula vero in ſiniſtra, habens a dextris acolythum pelviculam cum granis incenſi ambabus manibus deferentem, ſequitur ſubdiaconus ſolus cum Cruce, poſtea clerus, deinde diaconus portans ambabus manibus arundinem, & habens a ſiniſtris acolythum cum candela accenſa; ultimus Sacerdos ſolus junctis manibus, ac tecto capite, qui ſtatim ac ingreſſus eſt in eccleſiam, omnes ſiſtunt, ipſe caput detegit, ſibi tenens biretum. Diaconus arundinem caute inclinat, acolythus accendit unam ex tribus candelis, qua accenſa, diaconus genuflectit utroque genu, omneſque ſimiliter, etiam Celebrans, excepto ſolum ſubdiacono cum Cruce. Diaconus ſic genuflexus elevat aliquantulum arundinem, & gravi voce ſolus cantat

*Lumen Chriſti*, cui chorus genuflexus reſpondet *Deo gratias*. Tum ſurgunt omnes, & ulterius procedunt ad medium eccleſiæ: ibi omnes ſiſtunt. Acolythus aliam accendit candelam, diaconus utroque genu cum omnibus, uno tantum ſubdiacono Crucis excepto, genuflectit, & elevans altius arundinem, altius etiam cantat *Lumen Chriſti*, choro adhuc genuflexo reſpondente *Deo gratias*. Tum omnes iterum ſurgunt, & ad altare procedunt. Dum ſunt omnes in presbyterio ante altare, ſubdiaconus cum Cruce, & acolythi ſe retrahunt ad cornu evangelii, Diaconus vero ante altaris medium, ubi acolythus tertiam accendit candelam, qua accenſa, diaconus iterum cum omnibus, excepto ſubdiacono cum Cruce, genuflectit, & altius elevat arundinem, altius primo, & ſecundo cantat *Lumen Chriſti*, reſpondente choro adhuc genuflexo *Deo gratias*.

X. A conſecratione luminis incipit paſchalis ſolemnitas, quia lucis æternæ contulit claritatem.

XI. Poſtea Celebrans aſcendit ad altare, quod oſculatur in medio, deinde ac-

accedit ad cornu epiſtolæ. Diaconus vero in plano ſtans dat arundinem acolytho, accipit a cæremoniario miſſale ſumptum de legili, & omiſſo *Munda cor meum*, petit benedictionem, ut ſit ad Evangelium, ad cantandum præconium, ad quod Celebrans ſtat manibus junctis in latere epiſtolæ ad diaconum converſus, prout ad Evangelium: non oſculatur hic diaconus celebrantis manum.

XII. Cerei benedictio proxime ſpectat ad diaconum, etiam præſente Sacerdote, quia inferioris eſt miniſtri annuntiare Chriſti Domini reſurrectionem, ſicut a mulieribus ea fuit Apoſtolis annuntiata.

XIII. Præconium, ſurgentibus omnibus, ac ſtantibus aperto capite, ut ſit ad Evangelium, cantatur a diacono in cornu evangelii in plano presbyterii. Diaconus facie ad Sacerdotem verſa ſtat in medio ante legile, ſuper quod ponit miſſale apertum. Subdiaconus cum Cruce locat ſe a dextris diaconi, vertens Crucifixi faciem, quæ eſt in Cruce, ad Celebrantem, thuriferarius a dextris ſubdiaconi, acolythus cum arundine a ſiniſtris diaconi, acolythus cum quinque granis in-

cenſi a ſiniſtris acolythi arundinem deferentis, omnes lineam rectam formantes, ita tamen ut latera, non terga vertant altari, facie verſa prout diaconus, qui ter incenſat librum, ut ad Evangelium, non imponendo novum incenſum, quum ſufficiat impoſitum a celebrante extra portam eccleſiæ. Cantat autem clara voce junctis manibus, non ſignans librum, neque ſeipſum.

XIV. Poſt verba *Curvat imperia*, omnes in choro ſedeant, non tamen Celebrans.

XV. Primum granum diaconus figit in ſuperiori parte cerei; ſecundum in media, tertium in inferiori, quartum in dextera, quintum in ſiniſtra. Hæc autem quinque incenſi grana quinque Domini noſtri vulnerum ſymbolum ſunt. Poſt hæc omnes de choro ſurgunt, diacono proſequente: *In hujus igitur*.

XVI. Poſt verba *rutilans ignis accendit*, omnes in choro ſedent. Diaconus cum acolytho arundinem deferente cereum accendit cum una ex tribus candelis, non autem cum alia candelula.

XVII. Poſt verba *apis mater eduxit*, dia-

diaconus quieſcit, & lampades eccleſiæ; incipiendo a lampade majoris altaris quæ tunc extinguitur, ſtatimque novo accenditur igne benedicto, accenduntur a ceroferario, vel ſacriſta, ſumpto omnino lumine vel a cereo, vel ab una ex candelis arundinis.

XVIII. Ad nomen Papæ caput inclinatur. Romana, vel Epiſcopali ſede vacante, omittitur Papæ, vel Epiſcopi nomen; vacante vero ob Imperatoris mortem imperio, dicitur, *Reſpice ad Romanum imperium, cujus tu Deus vota prænoſcens.*

XIX. Poſt præconium Celebrans librum non oſculatur, nec ipſe incenſatur. Acolythus arundinem cum tribus candelis firmat in pede marmoreo ad hoc præparato in cornu evangelii non procul a cereo. Subdiaconus Crucem deponit in cornu epiſtolæ.

XX. Poſt veſperas Sabbati ſancti non ſunt amplius hæ tres candelæ accendendæ; immo arundo amovetur omnino.

XXI. Arundo cum tribus candelis debet eſſe vera arundo, non alius baculus: quæ ſi ornetur floribus, aliiſve ornamen-

tis, plus debet arundinis, quam alterius rei apparere; ſignificat enim Chriſti Domini paſſionem, adeout ſicut arundo necat ſerpentes, ita paſſio Chriſti Domini vicit diabolum. Debet eſſe altitudinis palmorum circiter decem. Tres candelæ in calce debent eſſe inter ſe omnino unitæ, ita tamen, ut in tres diſtinguantur; ſignificant enim unitatem, ac Trinitatem Dei.

XXII. Cereus paſchalis debet in cornu evangelii collocari ſuper magnum candelabrum pulcre elaboratum. Cereus autem ſit albæ ceræ cum quinque foraminibus aliquantulum a medio illius diſtinctis, ac proximioribus illi parti, quæ debet accendi; in illius autem ſummitate ita accomodetur, ut ſuo tempore valeat faciliter accendi. Debet eſſe ea ponderis quantitate, ut videatur in magnitudine ab ordinariis candelis diverſus. Accendi debet paſchali tempore ad miſſas, & veſperas ſolemnes, ſcilicet in triduo paſchatis, ſabbato in albis, & omnibus dominicis uſque ad Aſcenſionem quoad alios vero dies eccleſiarum conſuetudo ſervetur S. R. C. 19. *Maii* 1607. In miſſa

item

item non ſolemni, ſed parochiali, debito tempore poteſt die dominica accendi. Cereus iſte ſignificat manſionem Chriſti Domini ſuper terram per dies 40. poſt reſurrectionis ſuæ victoriam, ideoque in ejus ad cœlum Aſcenſionis die poſt Evangelium extinguitur, & amovetur. Utilis autem eſt contra diabolicas illuſiones, & contra fulgura, ac tonitrua.

XXIII. Cantato præconio diaconus, albis depoſitis, violacea ſumit paramenta, & vadit ad Celebrantem, qui in loco ſuo in cornu epiſtolæ, ſacris adjuvantibus miniſtris, deponit pluviale, accipit manipulum, & planetam violaceam, nihil dicens. Poſtea cantantur ante altare prophetiæ in cornu epiſtolæ, manibus hinc inde ad librum appoſitis.

XXIV. Ordo legendi Prophetias erit, ut primæ legantur a minoribus, poſtremæ a majoribus, niſi aliud ſuadeat neceſſitas. Has Celebrans legit ſubmiſſa voce in cornu epiſtolæ, miniſtris illi ut ad introitum miſſæ aſſiſtentibus, ad orationes vero ſtantibus poſt ipſum uno poſt alium. Diaconus dicit *flectamus genua* primus omnium genuflectens, ſubdiaconus

ſubdit *Levate*, & primus omnium ſurgit: eodem modo genuflectunt, & ſurgunt omnes cæteri, præter celebrantem, qui Chriſti perſonam deſignat. Antiquitus quoties dicebatur *flectamus genua*, non ſtatim reſpondebatur *Levate*, ſed pauſabatur aliquantulum, populo interim ſubmiſſa voce orante, uti habetur in codice Remenſi = ibi = *& nuntiat diaconus flectamus genua, & populus ſilet, & dicit levate;* tunc autem ſurgebant omnes. Colligitur ergo, quod iis temporibus tam *flectamus genua*, quam *Levate* ab ipſo diacono dicebatur.

XXV. Orationes extenſis dicuntur manibus, ut in miſſa.

XXVI. Finitis Prophetiis fit benedictio Fontis. Celebrans igitur, ſtans adhuc in cornu epiſtolæ ſuper ſuppedaneum, deponit manipulum & planetam, & accipit pluviale violaceum. Subdiaconus manipulum exuit. Acolythus accipit Crucem proceſſionalem; ceroferarii candelabra cum candelis accenſis. Alter acolythus cereum paſchalem accenſum deferens ambabus manibus præcedit omnibus; poſtea acolythus cum Cruce, medius in-

ter

ter ceroferarios, deinde aperto capite cleri bini, facta unico genu Cruci altaris genuflexione, ultimus ſequitur celebrans manibus junctis, & capite tecto, prius facta Cruci capitis inclinatione; a dextris celebrantis diaconus, a ſiniſtris ſubdiaconus junctis manibus, ſed nudo capite, qui unico flectunt genu. In via canitur tractus *Sicut cervus*.

XXVII. Quum ventum fuerit ad fontem, acolythus cum Cruce, ſemper medius inter ceroferarios, ſiſtit ſe prope fontem ex ea parte, quæ eſt januæ eccleſiæ vicinior, Celebrans vero ex alia parte verſus altare, diaconus a dextris celebrantis, ſubdiaconus a ſiniſtris, aliquantulum poſt ipſum; acolythus cereum geſtans ad ſiniſtram diaconi, facie, quantum fieri poteſt, ad altare majus converſa; clerus hinc inde quaſi per gyrum ſe locat: omnia autem hæc pro loci ſitu &c.

XXVIII. Tractu completo, Celebrans ibidem juxta fontem orat Deum Patrem, ut per Jeſum Chriſtum Spiritus S. in fontem deſcendat, quare junctis manibus dicit ante cancellos Baptiſterii abſque cantu ***Dominus vobiſcum***, ***Oremus***, poſtea in-

incipit benedictionem, dicens in cantu feriali junctis manibus *Dominus vobiſcum*, *Oremus;* in fine orationis elevans in modum præfationis vocem, proſequitur adhuc manibus junctis *Per omnia ſæcula*, & cætera ut in miſſali.

XXIX. Aquam dividit in modum Crucis, proiiciendo illam quaſi verſus quatuor mundi partes, quia baptiſmi gratia in quatuor orbis partes eſt dilatata. Mox linteo manum ſtatim abſtergit.

XXX. Cereus ter immittitur in aquam, terque extrahitur. Dicto ter *Deſcendat in hanc plenitudinem*, tenens adhuc cereum in aqua immerſum ſufflat ter in aquam, ut ſatanas tandem intelligat, quantus habeatur, dum tam leviter, videlicet per ſuavem inſufflationem, poteſt expelli. Sacerdos autem ter inſufflat, quia Spiritus S. tria in baptiſmo operatur: a vitiis purgat, ornat virtutibus, præmio coronat æterno.

XXXI. Poſt verba *fœcundet effectu* Sacerdos extrahit cereum de aqua, acolythus vero cereum ambabus ſuſtinet manibus ſtans ad ſiniſtram diaconi.

XXXII. Poſt verba *Per Dominum noſtrum*

*ſtrum J. C.* Celebrans aſpergit ſe, & circumſtantes de ipſa aqua benedicta, nihil dicens; deinde per aſſiſtentes Sacerdotes ſpargitur de eadem aqua benedicta ſuper populum. Interim vero unus ex miniſtris eccleſiæ accipit in aliquo vaſe de eadem aqua ad aſpergendum in domibus.

XXXIII. His peractis Sacerdos fontem benedicens infundit de oleo cathecumenorum in aquam in modum Crucis, intelligibili pronuncians voce: *Sanctificetur, & fœcundetur.* Deinde modo, quo ſupra, infundit de chriſmate dicens *Infuſio chriſmatis:* per quam admixtionem unio Chriſti, & eccleſiæ ſignificatur; nam chriſma eſt Chriſtus Dominus, aqua populus. Poſtea accipit ambas ampullas Olei ſancti, & Chriſmatis, & de utroque ſimul in Crucis modum infundens dicit: *Commixtio chriſmatis.* Mox oleum miſcet cum aqua, ac per omnem fontem manu ſua ſpargit. Demum cum panis medulla manus ſuas abſtergit, ac diligenter lavat.

XXXIV. Completa fontis benedictione Celebrans, omneſque alii redeunt ad al-

altare, eodem ordine, quo ad fontem acceſſerunt.

XXXV. Dum ad altare proceditur, duo cantores incipiunt Litanias, chorus autem reſpondet, repetens illud idem, quod dictum eſt a cantoribus, itaut ritu duplici litaniæ dicantur.

XXXVI. Quum Celebrans pervenerit ad altare, depoſito pluviali in cornu epiſtolæ, ſtatim revertitur ad medium altaris, genuflectit cum miniſtris, omnes in albis, in plano ante infimum altaris gradum, ac mox procumbunt ſuper coriaceos cuſſinos, cæteris omnibus genuflexis, ſed non proſtratis.

XXXVII. Ubi non eſt fons baptiſmalis, finita ultima prophetia cum ſua oratione, Celebrans caſulam deponit, & cum miniſtris ante altare procumbit; litaniæ verò cantantur in medio chori per duos cantores, choro ut ſupra reſpondente.

XXXVIII. In litaniis non geminatur verſus *Per ſanctam Reſurrectionem tuam*.

XXXIX. Ad verſiculum *Peccatores* Sacerdos, ac miniſtri ſurgunt, & facta altari debita reverentia, ſumptis biretis, ac-

accedunt ad ſacriſtiam, ubi paramentis induuntur albis pro miſſa, quæ ſolemniſſimè cantanda eſt.

XXXX. Interim cantores reliqua lentius cantant; accenduntur candelæ; violaceum amovetur pallium, ut appareat album; explicatur tapete, ſi n: convolutum; deponitur velum, quod altaris tegit ornamenta.

XXXXI. Celebrans impoſito more ſolito incenſo, accedit cum miniſtris ad altare, & dicto pſalmo *Judica me Deus* cum *Gloria patri*, in fine facit de more confeſſionem, deinde aſcendens oſculatur altare, quod more ſolito incenſat, ac ipſe pariter incenſatur. Mox in cornu epiſtolæ dicit ſubmiſſa voce cum miniſtris novies *Kyrie eleiſon*, quibus in choro completis, incipit in medio altaris ſolemniter *Gloria in excelſis*. Intonato hymno pulſantur omnes omnino campanæ, & organum. Celebrans de more ſedet, deinde dicit *Dominus vobiſcum*, & orationem cum reliquis, ut in miſſali.

XXXXII. Finita epiſtola ſubdiaconus oſculatur manum Sacerdotis, a quo & benedicitur, ubi nota quod ſubdiaconus an-

antequam Celebrantis oſculetur manum, ſolet eidem paſchale gaudium his verbis erectus annuntiare: *Reverende Pater, annuntio vobis gaudium magnum, quod eſt Alleluja*.

XXXXIII. Celebrans in cornu epiſtolæ incipit *Alleluja*, quod ter decantat, elevando gradatim vocem, & dum canitur, omnes in eccleſia ſtant. Chorus autem poſt quamlibet vicem in eodem tono repetit illud idem, proſequens poſtea *Confitemini &c.* quæ ſubmiſſa voce dicuntur etiam a celebrante, qui deinde more ſolito legit in cornu evangelii ipſum Evangelium.

XXXXIV. Ad Evangelium aſſiſtunt quidem ceroferarii, ſed junctis manibus abſque candelabris, quoniam lumen nondum nobis redditum eſt; defertur autem incenſum, quia mulieres tulerunt aromata, ut ungerent Jeſum; petitur benedictio, & cætera fiunt de more.

XXXXV. Credo non dicitur, ut adhuc infirmorum cordium dubitatio exprimatur; ſed lecto Evangelio celebrans oſculatur librum, & incenſatur, ſtatimque dicit *Dominus vobiſcum, Oremus*, of-

fer-

fertorium vero non dicitur, quum nondum ſurrexerit, qui det nobis, quod valeamus offerre. Subdiaconus defert ad altare una cum calice burſam corporalium. Oblata incenſantur more ſolito. Ad lavabo dicitur *Gloria Patri*.

XXXXVI. In præfatione dicitur *In hac potiſſimum nocte*. Infra actionem *Communicantes* & *Hanc igitur* propria. Dicitur *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*, ſed pax non datur in deteſtationem oſculi proditoris.

XXXXVII. Non dicitur *Agnus Dei*, quia diſcipuli nondum credebant Jeſum eſſe Deum, qui redimeret Iſrael, & tolleret peccata mundi; nec dicitur poſtcommunio, eo quod non erant tunc qui in Chriſti fide communicarent. Dicuntur tamen tres conſuetæ orationes ante communionem cum ſolita inclinatione.

XXXXVIII. Dum Celebrans ablutionem ſumit, in choro cantatur pro veſperis *Alleluja*, intonante digniore ex choro ſine Crucis ſigno. Celebrans ablutione facta accedit ad cornu epiſtolæ, ubi adhuc retenta planeta dicit voce ſubmiſſa ter *Alleluja*, cum pſalmo *Laudate*

*Do-*

*Dominum* cum *Gloria* in fine, repetens poſtmodum ter *Alleluja*, ſtantibus miniſtris, ut ad introitum miſſæ. Deinde celebrans, adhuc ſtans in cornu epiſtolæ, intonat *Veſpere autem ſabbati*, quam antiphonam ipſe voce ſubmiſſa cum miniſtris proſequitur.

XXXXIX. Dum in choro incipiunt *Magnificat*, Celebrans in eodem cornu epiſtolæ cum miniſtris ſignat ſe, quod & omnes faciunt, & ſtatim accedit ad medium altaris, ubi imponit, ac benedicit incenſum, ac de more incenſat altare, ut in principio miſſæ; ſed hic ulterius incenſantur alii in choro. Incenſatus a diacono ſtat celebrans in cornu epiſtolæ dicens cum miniſtris ſtantibus, ut ad introitum, voce ſubmiſſa *Magnificat*, cum *Gloria* in fine.

L. Repetita a choro antiphona, Celebrans accedit ad medium altaris, quo oſculato, dicit *Dominus vobiſcum*, *Oremus*. Poſt orationem cantatam in cornu epiſtolæ iterum dicit in medio *Dominus vobiſcum*, tum diaconus vertens ſe ad populum cantat: *Ite miſſa eſt alleluja*, *alleluja*. Deinde Sacerdos dicto *Placeat tibi S. Trini-*

*tas*,

*tas*, dat benedictionem, & legit Evangelium S. Joannis. Ideo verò dies iſta in miſſa, non in veſperis terminatur, ut Chriſtus Dominus, qui nos morte redemit, ſine fine laudetur, qui eſt benedictus in ſæcula. Poſt hæc Sacerdos redit in ſacriſtiam more ſolito, & gaudia paſchalia læti ſibi annuntiant omnes, poſtquam ſacras veſtes exuerint.

LI. Veſperæ ſi recitentur extra chorum, non additur in principio *Deus in adjutorium*, ſed dicto prius *Pater*, & *Ave*, inchoantur abſolute ab *Alleluja &c. Laudate Dominum &c.* cum reliquis ut ſupra in miſſa, ſed loco *Ite miſſa eſt* dicitur *Benedicamus Domino* cum duplici *Alleluja*, deinde additur *Pater noſter*, & nihil aliud. Breviſſimæ dicuntur veſperæ, quia Sabbatum æternæ quietis, quod per hoc ſabbatum figuratur, nullum habet veſperum.

LII. In miſſa ſolemni poterit ſine culpa Celebrans omittere prophetias, immo, & Domini paſſionem, ac ſimilia, quæ in majori hebdomada, & in quibuſcumque miſſis per annum ſolemnibus ſolent ab aliis, quam a Sacerdo-

te cantari; ſufficit enim, ſi dum alii cantant, ipſe attentè audiat. Ratio videtur eſſe, quia prædicta in miſſa ſolemni ſunt partes miniſtrorum, non autem Celebrantis, uti capitula, orationes, & ſimilia in horis canonicis, juxta ea quæ a nobis dicta ſunt in noſtra *Solicitud. Paſtoral. par.* 2. *tit.* 2. §. 2. *n.* 55. & rubrica illorum recitationem monens eſt tantum directiva. Quod magis locum habet in epiſtola, & Evangelio, quæ a diacono, & ſubdiacono cantantur, maximè in iis qui oculorum debilitate laborant.

LIII. Quidquid nonnulli in contrarium ſenſerint, verius videtur, non debere in ſabbato S. celebrari, quocumque feſto de præcepto occurrente, niſi unicam miſſam, quæ noctis eſt; quum uſu receptum ſit in eccleſia, ut unum tantum fiat ſacrificium ſolemne, nec ullus eſt introitus præſcriptus, ut in ſabbato Pentecoſtes. Confirmatur ex *Can. ſabbato de conſecr. D.* 3. ubi dicitur hoc triduo Sacramenta non celebrari. Immo non ſolum non debet hodie celebrari, niſi tantum miſſa ſolemnis, verum etiam nec in ea poteſt quivis alius ab ipſomet Celebrante, ſive lai-

laicus ſit, ſive clericus, communicare, quamvis occurrat aliquod magnæ devotionis feſtum, v. g. Annuntiatio B. M. V. cujus feſti nulla quoad miſſam debet haberi ratio: *Gavant. par.* 4. *tit.* 10. *n* 45. *&* 46. unde in ſabbati S. miſſa non dicitur communio. Recole hic dicta *tit.* 2. *§.* 3. *n.* 15.

LIV. In ſabbato igitur S. prohibentur omnino miſſæ privatæ S. R. C. 11. *Febr.* 1690. quæ prohibitio non fuit pro illo tantum anno, in quo occurrit feſtum Annutiationis B. M. V. ſed ſervanda eſt ſingulis annis in poſterum in quibuſcumque eccleſiis, & oratoriis juxta priſcam Eccleſiæ praxim & doctrinam, uti declaravit S. R. C. 26. *Apr.* 1692. Item Clem. XI. 15. *Martii* 1712. *&* 3. *Apr.* 1719. Quod adeo verum eſt, ut ſi hac die occurrat feſtum S. Joſeph, aut aliud quodcumque, fideles minime teneantur intereſſe ſacro, nec aliis ſacris functionibus, nec ab operibus abſtinere ſervilibus S. R. C. 13. *Septemb.* 1692.

LV. Sed quomodo debet ſe gerere Parochus, ſi occurrat in ſabbato S. depoſitio alicujus defuncti? *Paſqualig. quæſt.* 286.

concedit, inſepulto corpore, etiamſi non ſit præſens, cantari poſſe miſſam de *Requiem* Fer. V. in Cœna Domini ante miſſam de die, & ſabbato S., ſive ante, ſive poſt miſſam de die. Immo docet, quod ubi non adeſt commoditas canendi miſſam, poſſit prædictis diebus dici miſſa privata de *Requiem* inſepulto corpore. Gavantus miſſam cantatam inſepulto corpore Fer. V. in Cœna Domini, & ſabbato S. concedit ſolum, quando juxta patrios mores cadaver abſque miſſa non poteſt ſine ſcandalo tumulari; quod ſcandalum noſtris in regionibus minime contingit. Tonellius pro cantanda miſſa, inſepulto corpore, eamdem aſſignat regulam, quæ traditur pro miſſa, quæ canitur ob populi concurſum. Quum autem ob populi concurſum nequeat in ſabbato S. miſſa cantari, conſequens eſt, ut nec miſſa de *Requiem* inſepulto corpore. Quod etiam poſt maturam diſcuſſionem ſervatum fuit in morte ſemper felicis memoriæ optimi mei genitoris: quum enim in die Paraſceves in Domino, & cum Domino obiiſſet, ejuſque cadaver ſequenti ſabbato expoſitum de more an-

te

te depoſitionem ſtetiſſet, loco miſſæ de *Requiem*, ante conſuetam abſolutionem integrum officium cum laudibus defunctorum fuit, poſt miſſam de die a clericis tum ſecularibus, tum regularibus, in illius animæ ſuffragium cum cantu perſolutum. Hoc autem videtur conformius rationibus, & prohibitionibus ſuperius *num.* 53. *&* 54. *relatis*.

LVI. S. Ep. C. *in Fundana* 17. *Maii* 1604. *f.* 59. puniri juſſit quosdam canonicos, qui ſabbato S. cantarunt, abſente corpore, miſſam de *Requiem*, ne perderent eleemoſynam. *Nicolius Canonic. lucubr. lib.* 3. *tit.* 40. *n.* 5.

LVII. Regulares tenentur non ſolvere campanas in ſabbato S. ante matricem S.R.C. 19. *Febr.* 1608. ſub pœna in Bulla Leonis X. contenta, quæ eſt ſcutorum centum S. R. C. 21. *Martii* 1609.

Recitata nona in ſabbato S. dignitates, & canonici non amplius ante Crucem altaris genuflectunt, ſed profundam tantum faciunt inclinationem.

Cereus Paſchalis ſemel benedictus, ſi ſolum reficiatur, quoad minorem par-

tem, non poteſt iterum abſque veniali benedici. Peſſimè faciunt ii, qui abſque ulla refectione ſemper eumdem cereum, donec totus conſumptus fuerit, iterum benedicunt.

# TITULUS SEPTIMUS

## VESPERÆ SOLEMNES.

### §. I.

*Notabilia.*

I. VEſperarum nomine intelligitur hic una ex ſeptem canonicis horis, ſic dicta a veſpero ſidere, eo quod ſole jam occiduo ſolebat in choro recitari: quare a nonnullis antiquis patribus fuit appellata, *Hora lucernaria*, *lucernarium*, *lucernales pſalmi*, *ad accenſionem lucernæ*. Completorium verò *ad ſomnum*.

II. Meritò Eccleſia Catholica horas celebrat veſpertinas, ut pſallens gratias agat Chriſto Domino, qui vergente mundi veſpere, ideſt in ultima ætate *Propter noſtram ſalutem incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt*. Eadem quoque hora in ultima Cœna Sacramentum corporis, & ſanguinis ſui inſtituit, de Cruce fuit depoſitus,

euntibus Emmaus Diſcipulis ſub peregrini ſpecie in fractione panis ſe manifeſtavit.

III. Quum autem feſta a primis exordiantur veſperis, idcirco procedente tempore veſperarum celebrationem anticipari juſſit eccleſia, ut commodius poſſet iis populus aſſiſtere.

IV. Inchoantur a veſperis feſta, quia licet ab initio mundi dies præcederet noctem, in dominicæ tamen reſurrectionis nocte cœpit nox præcedere diem. Præceſſit olim dies quia primus Adam de luce virtutum erat in tenebras vitiorum tranſiturus, ſed modo præcedit nox, quia ſecundus Adam per reſurrectionem ſuam de peccatorum tenebris ad lucem gratiæ nos reparavit.

V. Quinque recitantur pſalmi, vel in memoriam quinque Redemptoris noſtri vulnerum, vel in expiationem culparum eo die per quinque corporis ſenſus a nobis admiſſarum, vel ad obviam divino Sponſo cum lucernis ardentibus prudentum quinque Virginum inſtar procedendum.

VI. Duplex primæ claſſis nullam admittit commemorationem diei infra octavam,

vam, neque ſancti ſimplicis, quod in veſperis locum habet etiam in duplicibus ſecundæ claſſis, in veſperis, inquam, nam in duplicibus ſecundæ claſſis in laudibus, & miſſa privata fit commemoratio ſancti ſimplicis occurrentis.

VII. In ſecundis veſperis duplicis primæ claſſis nulla fit commemoratio diei infra octavam poſtridie occurrentis; in ſecundis autem veſperis duplicis ſecundæ claſſis fit commemoratio diei infra octavam, ſi de ea fiat in die ſequenti officium, alias omittitur. In ſecundis veſperis duplicis primæ claſſis non fit commemoratio ſancti ſimplicis ſequentis, fit tamen in ſecundis veſperis duplicis ſecundæ claſſis.

VIII. Si duplex primæ claſſis occurrat cum dominica per annum, de ea fit in utriſque veſperis commemoratio; ſi vero veſperæ dominicæ per annum concurrant cum primis veſperis duplicis primæ vel ſecundæ claſſis, nulla fit commemoratio dominicæ, niſi dominica ipſa ſit primæ vel ſecundæ claſſis; tunc enim ſemper fit in primis etiam veſperis de ea commemoratio.

IX. Oc-

IX. Occurrere, ſignificat cadere eadem die, concurrere verò, cadere die ſequenti.

X. Titulus eccleſiæ fit duplex primæ claſſis, quemadmodum officium principalis Patroni loci; principalis, inquam, nam de Patronis minus principalibus officium fit duplex majus.

XI. Dedicationis Eccleſiæ feſtum per ſe dignius eſt feſto patroni loci, ſeu Titularis eccleſiæ, & dedicatio propriæ eccleſiæ dedicationem cathedralis eccleſiæ præcedit.

XII. Concurrentibus duobus duplicibus primæ vel ſecundæ claſſis, aut duobus duplicibus, ſi unum ſit altero dignius, veſperæ erunt integræ de digniori cum commemoratione de minus digno. Si verò tam in ritu, quam in dignitate ſint æqualia, fit a Capitulo de ſequenti cum commemoratione præcedentis, niſi aliter propriis in locis notetur. Hæc autem major dignitas eſt ſolum attendenda in feſtis Domini, B. M.V., Angelorum, & Apoſtolorum, itaut de aliis feſtis nulla quoad concurrentiam ſit habenda dignitatis ratio, v.g. Martyris, Confeſſoris, Virginis &c. hæc enim cenſentur in digni-

tate

tatė æqualia, dummodo ſint æqualis claſſis, ſeu ritus.

XIII. Si de duobus Confeſſoribus ſimul faciendum ſit officium, uno Pontifice, altero non Pontifice, fiat de communi Pontificis, qui dignior eſt.

XIV. Exceptis diebus infra eorum octavas, ſemper in feſtis Domini, B. M.V. Angelorum, & Apoſtolorum, quo nomine veniunt etiam Evangeliſtæ, utræque veſperæ dicuntur integræ, quamvis occurrat duplex majus, ſecus ſi concurrat duplex primæ, vel ſecundæ claſſis. Duplex etiam majus habet utraſque veſperas integras, niſi a ſolemnioribus, aut prædictis Domini, B. M. V. &c. feſtis impediatur. Dies autem Apoſtolorum octava non habet integras veſperas, tam in occurrentia, quam in concurrentia duplicis minoris per annum.

XV. In Eccleſia S. Rocchi, quamquam propria de eo, utì patrono: primæ veſperæ ejus feſti, quæ ſunt ſecundæ de Aſſumptione, non ſunt recitandæ de S. Roccho, ſed integræ de Aſſumptione, cum commemoratione tantum de ſancto; nam utrumque feſtum eſt quidem primæ claſ-

claſſis, ſed B. V. dignior eſt S. Roccho.

XVI. Dominica habet ſecundas veſperas integras in concurrentia ſemiduplicis, licet non habeat primas; hoc autem propter concurſum populi, qui ſolet die dominica in eccleſiis adeſſe.

XVII. Quoties in choro canitur antiphona *Hæc dies, quam fecit Dominus*, omnes ſtare debent.

XVIII. In veſperis ſolemnibus hymnus intonatur a Celebrante. Quando verò hymnus incipit per invocationem Dei, vel Chriſti, ipſe intonans debet extendere, elevare, & jungere manus, & ſimul caput verſus altare inclinare.

XIX. Ad hymnum *Veni creator Spiritus*, *Ave maris ſtella* omnes genufleđunt, & utroque genu flexi manent uſque dum tota prima ſtropha abſolvatur. Celebrans verò dum intonat, ſtat quouſque primum intonaverit verſum, poſtea cum aliis & ipſe genufleđit ſuper genuflexorium, quod ſi non adſit, ſuper infimum altaris gradum, vel in cornu epiſtolæ ſi ſit ſolus, aut in medio inter aſſiſtentes ſi ſit extra chorum.

XX. Ad verba *O Crux ave ſpes unica*

etiam

etiam paſchali tempore genufle&tendum eſt, quia ſit hoc non per orationis, ſed per adorationis modum.

XXI. Si officium cantetur ante altare, in quo ſit SS. Sacramentum etiam tabernaculo incluſum ad ℣. *Tantum ergo*, & *O ſalutaris Hoſtia*, omnes genufle&tunt, ſecus ſi nullo modo adſit Sacramentum.

XXII. Quando eſt SS. Sacramentum expoſitum, canonici, omneſque in choro præſentes tum ſtando, tum ſedendo, quod tamen non videtur convenire, ſemper debent aperto omnino capite aſſiſtere, nec ab Epiſcopo ullo modo permittendum eſt contrarium.

XXIII. In hymno *Iſte Confeſſor* in die obitus, ac per totam o&tavam dicitur *Meruit Beatas;* ſi vero non ſit dies obitus, aut ſi feſtum transferatur etiam in diem immediatè ſequentem, ſemper dicitur *Meruit ſupremos*, etiam infra o&tavam.

XXIV. Hymnorum concluſio mutanda eſt a primis veſperis, etiamſi de feſto, cui contingat mutatio, fiat tantum a capitulo, & continuetur uſque ad ſecundas veſperas, & completorium diei ſequentis incluſive, licet de feſto illo fiat

ſo-

ſolum commemoratio: quod ſi nulla amplius de eo commemoratio fiat, nec hujus eſt continuanda mutatio.

XXV. B. M. V. canticum in veſpertinis potius, quam in aliis horis recitatur, quia ipſa eſt Stella maris, quæ in hujus mundi veſpere luce ſua nobis iter ad cœleſtem patriam demonſtrat; & ut quidquid vani, vel mali diuturna evagatio contraxerit, totum hoc precibus, & lacrymis ipſa intercedente mundetur. Rurſus in ſexta canitur hora canonica, quia Dominum in ſexta ætate nobis ipſa peperit, ſicut & Simeonis canticum in ſeptima dicitur hora, propter ſeptimam æternæ beatæ quietis ætatem.

## §. II.

*Ritus in canendis Veſperis*.

I. IN veſperis ſolemnibus Sacerdos induitur amictu, alba, cingulo, ſtola in modum Crucis ante pectus tranſverſa, nihil omnino dicens, & pluviali. Aſſiſtentes, & cantores cotta, & pluvia-

viali, ſtola & pluvialia debent eſſe coloris diei feſto convenientis.

II. Præcedunt ceroferarii cum candelabris accenſis, deinde cæremoniarius ſolus nudo capite, ſequuntur cantores tecto capite, junctiſque manibus, niſi baculum habeant, ultimus Sacerdos cooperto capite, & junctis manibus, medius inter duos aſſiſtentes capite & ipſi cooperto, qui pluvialis Celebrantis extremitates hinc indè ſuſtentant elevatas.

III. Ubi ad altare ventum fuerit, caput diſcooperiunt omnes, ac genuflectunt unico genu in plano, excepto Celebrante, qui tantum Cruci caput inclinat; quodſi adſit in tabernaculo Sacramentum, ipſe quoque genuflectit in plano. Celebrans, aſſiſtentes, & ceroferarii formant antè altare, quaſi rectam lineam.

IV. Facta genuflexione, ſeu reverentia, omnes, etiam Celebrans, genuflectunt utroque genu ſuper infimum altaris gradum, ibique genuflexi pauliſper orant, deponentibus interim acolythis candelabra ſua. Poſt hæc ſurgunt, & facta iterum altari profunda reverentia etiam cum humeris, vel unico genu genu-

nuflexione in plano, ſi adſit Sacramentum, procedunt ad loca ſua, ideſt ad ſedem in cornu epiſtolæ præparatam, vel ad primum, dignioremque locum chori, celebrans tantum capite cooperto. Tranſeuntes autem ante chorum caput hinc indè omnes, etiam celebrans, inclinant, omnibus de choro ſimili capitis inclinatione reſpondentibus.

V. Quum pervenerit Celebrans ad locum ſuum, capite item cooperto, aliquantulum ſedet cum aliis de choro, ſtantibus paratis ante eum apud ſcamna in plano chori iis præparata. Mox aperit caput, ſurgit, dicit ſecretò verſus altare orationem dominicam, & angelicam ſalutationem, poſtea intonat *Deus in adjutorium*, ſe interim ſignans, cæremoniario, ſi non adſint aſſiſtentes, dexteram pluvialis partem aliquantulum elevante. Advertat autem, ut verba *Deus in adjutorium &c.* & ſignum Crucis a fronte ad pectus terminentur una ſimul.

VI. Primus cantor, facta debita altari reverentia, ſi ante illud tranſeat, profundam facit reverentiam Celebranti, cui ſubmiſſa voce præintonat antiphonam, qua

qua a celebrante alta voce repetita, non autem prius, facta iterum celebranti reverentia, & altari genuflexione, ſi ante illud tranſeat, redit ad locum ſuum proſequens cum aliis antiphonam.

VII. Pſalmo primo a cantoribus intonato, omnes tecto capite ſedent uſque ad capitulum, niſi quatenus debeant pro antiphonarum, & pſalmorum intonatione ſurgere. Ad *Gloria Patri* adhuc ſedentes caput diſcoopertum inclinant uſque ad *Sicut erat* excluſive. Illi qui ad pſalmos ſedebant, debent quando ab aliquo e ſua parte chori intonatur antiphona ſurgere, eo vero ſedente, omnes iterum ſedent. Celebrans numquam, niſi ad capitulum ſurgit.

VIII. Antiphonæ poſt Celebrantem debent ab iis, qui digniorem hinc inde chori locum occupant intonari, quamvis forte per accidens eveniat, ut hic & nunc locus ille non occupetur a digniori, qui tunc ut minus dignus reputandus eſt, nam in hoc caſu non perſona, ſed locus dignior attenditur, ut debitus ordo ſervetur.

IX. Completa ultima antiphona ulti-

mi pſalmi, aſtantibus ceroferariis cum candelabris accenſis, Celebrans diſcooperit caput, & ſurgens tradit biretum cæremoniario, vel alii, vel congruo in loco deponit. Mox in tono convenienti junctis manibus canit capitulum ex libro ſuper legile ante ipſum, vel ab aliquo acolytho ſuſtentato, ſtans uſque dum intonuerit antiphonam ad *Magnificat* manibus junctis.

X. Ad *Magnificat* primus cantor præintonat, uti ſupra, Celebranti antiphonam, qua intonata celebrans, omneſque alii ſedent capite cooperto; ſed qui cantant, ſtent.

XI. Decantata tota omnino antiphona a choro, Celebrans, & omnes ad *Magnificat* caput diſcooperiunt, ſurgunt, ſignantque ſe Crucis ſigno ob Evangelici Cantici reverentiam.

XII. Mox Celebrans cum aſſiſtentibus, & cantoribus, facta hinc inde verſus clerum capitis inclinatione, clero ſimiliter reſpondente, procedit manibus junctis, capite verò ex Gavanto quoad celebrantem cooperto, ſed juxta alios, quibus ego libens ſubſcribo, diſcooperto, etiam

ipſe

ipſe celebrans ob evangelici cantici reverentiam, præeuntibus ceroferariis, cæremoniario, & cantoribus. Si tamen præter altare majus, aliud altare ſit incenſandum, celebrans poſt majoris altaris thurificationem, debet cooperto capite per eccleſiam incedere, quia presbyterium egrediens a choro recedit.

XIII. Ad altare præmiſſa ab omnibus debita reverentia, ſeu genuflexione, Celebrans illud aſcendit, & oſculatur in medio, ubi ſtans aliquantulum verſus erga cornu epiſtolæ imponit, ac benedicit incenſum, & modo inferius dicendo altare thurificat.

XIV. Thurificato altari reddit in cornu epiſtolæ thuribulum aſſiſtenti, ſeu cantori, ſtatim redit ad medium altaris, ubi capite Cruci inclinato deſcendit in planum, & facta cum omnibus debita reverentia, revertitur ad chorum, utraque parte chori clero caput inclinans. Stans autem in loco ſuo, nudo capite, invitat proximiorem ad incenſationis honorem, tum primus incenſatur.

XV. Dum repetitur antiphona poſt *Magnificat*, tunc, non prius, omnes te-

cto capite ſedent iis exceptis, qui actu incenſantur, vel in illa ſint chori parte, in qua fit incenſatio.

XVI. Repetita a choro antiphona, Celebrans, ac omnes ſurgunt, & caput aperiunt, ipſe vero junctis manibus pronuntiat *Dominus vobiſcum*, *Oremus &c.* iterum *Dominus vobiſcum*.

XVII. *Benedicamus Domino* dicitur in medio chori, ſive presbyterii verſus altare a cantoribus paratis, factis antea debitis reverentiis, ideſt altari genuflexione unico genu, Celebranti vero profunda reverentia, quod ſemper eſt obſervandum in acceſſu, & receſſu.

XVIII. Reſponſo a choro *Deo gratias*, Celebrans ſubmiſſiori voce dicit *Fidelium animæ* formans interim per aerem ſignum Crucis, ex Magri verb. *Veſperæ*. Deinde vel ſtans, vel genuflexus, prout tempori convenit, dicit ſecreto *Pater noſter*. Mox mediocri profert voce, *Dominus det nobis ſuam pacem*, tunc dicitur ab omnibus finalis B. M. V. antiphona, qua finita, celebrans ſtans dicit verſum, & orationem junctis manibus, poſtea demiſſa voce ſubdit *Divinum auxilium*. Hæc au-

autem B. M. V. antiphona omittitur, ſi dicendum ſit immediate completorium.

XIX. Veſperis abſolutis, Celebrans cooperto capite, ordine prorſus, forma, & modo, quo venerat, redit ad ſacriſtiam, omnibus adamuſſim in receſſu ſervatis, quæ ſuperius in acceſſu ad altare, & ad chorum ſervanda eſſe diximus.

XX. Quando Celebrans ſtat extra chorum, parentur ſcamna in cornu epiſtolæ, ubi celebrans medius inter aſſiſtentes ſedet altius, ſuppoſito ſaltem pulvino, quod etiam ponendum eſt in primo chori loco, quando ibidem cantat: ſub ſcamnis extendatur tapete, abſente tamen ſuperiore.

XXI. Hic autem notandum, quod in acceſſu Celebrantis ad altare, prius capite ſe inclinat clero in cornu epiſtolæ exiſtenti, inde exiſtenti in cornu evangelii, demum altari; in receſſu autem prius altari, deinde exiſtentibus in cornu evangelii, tandem exiſtentibus in cornu epiſtolæ. Item ſtatim ac celebrans ad ſedem ſuam acceſſerit, ſedet aliquantulum, miniſtris ſtantibus,

inde ſurgit, dicit ſecreto *Pater*, *Ave* poſtea intonat *Deus in adjutorium*, reliqua, ut ſupra.

XXII. Acolythi cum candelabris ſtant verſa ſibi invicem facie.

XXIII. In veſperis minus ſolemnibus Celebrans induitur ſuperpelliceo, & pluviali ſine ſtola.

TI-

# TITULUS OCTAVUS

## MISSA SOLEMNIS.

### §. I.

*Notabilia*.

I. MIſſa ſolemnis dicitur Principalis, Conventualis, Publica, Canonica, Generalis, eaque eſt antiquior privata. Alia vero eſt ſolemnis, alia minus ſolemnis. Solemnis appellatur ea, in qua nihil, quod ad ſolemnitatem ſpectet, omittitur; minus ſolemnis vocatur illa, in qua incenſatio, pacis oſculum, & ſimilia prætermittuntur. Miſſa cantata ſine miniſtris non eſt ſolemnis, adeoque debet in ea fieri in duplicibus ſecundæ claſſis S. ſimplicis commemoratio.

II. In minus ſolemni miniſtri procedunt unus poſt alium capite cooperto. Subdiaconus defert calicem, diaconus librum e ſacriſtia ad altare, ubi diaconus,

depoſito, & aperto libro in cornu epiſtolæ, ſtatim deſcendit ad Celebrantem, cum quo facit a dextris ipſius confeſſionem. Ubi diaconus deſcendit, ſubdiaconus aſcendit, & explicato corporali calicem in medio altaris collocat. Finita miſſa eodem, quo venerunt, ordine ad ſacriſtiam revertuntur.

III. In ſacriſtia ſuper menſam digniorem extenduntur eleganter omnia ſacerdotalia paramenta inter diaconalia a dextris, & ſubdiaconalia a ſiniſtris, omnia coloris feſto convenientis.

IV. Pro ſolemni paretur ulterius credentia in cornu epiſtolæ itaut, ſi fieri poſſit, anterior illius pars aquilonem reſpiciat. Sit abſque gradibus in plano presbyterii, brevis, demiſſa, ſimplex, abſque Cruce, vel imaginibus, aut reliquiis Sanctorum. Cooperiatur albo mundo linteo undequaque pendente, vel pendente aliquantulum, ſi panno ſerico, ſeu pretioſiori ſubtegatur. Super hanc antequam Sacerdos veniat ad altare, collocentur neceſſaria. In medio collocetur bacile erectum, & bucale, ſuper quod ſit manutergium plicatum; calix cum purificato-

rio

rio, patena cum Hoſtia, parva palla, totus parvo velo coloris paramentorum coopertus. In dextro cornu verſus altare pelvicula cum urceolis omnino vitreis, & prope ipſos parvulum manutergium, & campanula pro elevatione. In ſiniſtro cornu miſſale, ſeu duo pro epiſtola, & evangelio, & thuribulum cum navicula incenſi. Hæc omnia velo tegantur oblongo, ſuper quod locetur burſa cum corporali, itaut pars illius anterior aperta reſpiciat parietem. In poſterioribus angulis collocentur candelabra. Inſtrumentum pacis cum velo coloris paramentorum ad illius manubrium appenſo, vel prope urceolos, vel ſuper altare a parte epiſtolæ inter candelabra. Si ſint conſecrandæ particulæ, ponantur ſuper credentiam prope calicem, deferendæ ad altare oblationis tempore.

V. In latere pariter epiſtolæ tria collocentur ſcamna pro Celebrante, & miniſtris; celebrantis autem ſcamnum nobilius ſit, & aliquantulum altius, ſuppoſito ſaltem cuſſino. Abſente ſuperiore ſub his ſcamnis extendatur tapetium.

VI. Poſt altare, ſi poſſit, aut in ſacri-

criſtia, vel in alio loco, ab oculis quantum fieri poteſt remoto, paretur vas cum carbonibus accenſis in uſum thuribuli, & forcipes pro iisdem in thuribulum imponendis. Præſto quoque ſint intorticia pro elevatione.

VII. Miſſale pro Celebrante ſemper in miſſa ſolemni collocetur apertum ſuper altare a cæremoniario, & ſi duo adſint cuſſini, amoveatur ille, qui eſt in cornu evangelii.

VIII. Anulus in miſſa tam ſolemni, quam privata nullatenus eſt deferendus S. R. C. 11. *Febr.* 1623. nec etiam a Canonicis Cathedralis S. R. C. 20. *Novemb.* 1628. Canonicorum vero nomine veniunt quæcumque dignitates ſive ſint de gremio capituli, ſive non.

IX. Pileolum quoque non licet abſque Pontificia diſpenſatione in miſſa adhibere *Can. nullus Epiſc.* de *conſecrat. D.* 1. quam prohibitionem, quum ſit de re gravi, obligare ſub mortali DD. omnes conveniunt. Facultas ergo concedendi pileoli uſum eſt Apoſtolicæ Sedi reſervata S. Ep. C. 2. *Januar.* 1590. & 17. *Januar.* 1595. S. R. C. 31. *Januar.* & 24.

*April.*

*April.* 1626. & 6. *Februar.* & 7. *Auguſt.* 1628. Tonellius autem notat, poſſe etiam Epiſcopum diſpenſare, quando adeſt neceſſitas, & non eſt facilis ad Papam recurſus, dummodo neceſſitas non ſit perpetua; quo caſu neceſſaria eſſet Pontificia diſpenſatio. Dari tamen poteſt rarus aliquis etiam caſus, in quo liceat abſque ulla diſpenſatione capite operto celebrare, nempe quando habens neceſſitatem nec ipſum Epiſcopum adire valeat.

X. Miniſtri ſemper adjuvant Celebrantem, brachia ſuſtentantes ipſius dum genuflectit, & ſurgit. Numquam altare tangant, immo nec ipſas tangant veſtes, dum manus habent junctas ante pectus, nec umquam manus ſub veſtibus recondant.

XI. Simplex Sacerdos poteſt in miſſa ſolemni uti presbytero aſſiſtente, ubi eſt conſuetudo S. R. C. in *Mantuan.* 19. *Jul.* 1604. *Biſſ. litt. P.* 205. Presbyter vero aſſiſtens non debet abſolutioni defunctorum, nec etiam SS. Sacramenti proceſſioni intereſſe.

XII. *Kyrie eleiſon* in miſſa cantata dicun-

cuntur a Celebrante in cornu epiſtolæ, quamvis ſacri non adſint miniſtri.

XIII. Die Pentecoſtes, ac per totam octavam in miſſa ſolemni Celebrans, & miniſtri, dum canitur in choro ℣. *Veni S. Spiritus* genuflectunt utroque genu manibus junctis, ſuper ſuppedaneum altaris uſque ad verſiculi finem; ſi vero ſedeant, genuflectunt in infimo gradu, vel in medio, vel in cornu epiſtolæ, quod & in ſimilibus obſervatur. Omnes pariter de choro manent genuflexi, duobus tantum cantoribus exceptis, a quibus dictus verſus cantatur, qui tamen poſtea faciunt & ipſi unico genu genuflexionem. Verſu completo, non prius, Celebrans legit Evangelium. In miſſis tamen privatis genuflexio fit unico genu verſus librum ad prima verſiculi verba, ac ſtatim celebrans ſurgit, ut poſſit, quod ſequitur, commodè legere. Idem omnino ſervetur in miſſa tam ſolemni, quam privata ad ℣. *Adjuva nos Deus ſalutaris noſter*.

XIV. In Evangelio Epiphaniæ ad ℣. *Et procidentes adoraverunt eum*, omnes genuflectunt præter ſubdiaconum tenentem librum, & ceroferarios: quod & in ſimili-

li-

libus eſt obſervandum; diaconus verſus librum, cæteri vero omnes verſus altare.

XV. Qui defert Evangeliorum librum, idem dic de pace, ad oſculandum, nullam facit in principio reverentiam ei, cui defert, ſed tantum poſt.

XVI. Sacerdos canens miſſam, in qua chorus tenetur Apoſtolorum ſymbolum cantare, nequaquam poteſt miſſam uſque ad præfationem proſequi eo tempore, quo in choro cantatur ſymbolum S. R. C. 19. *Decemb.* 1670. & 17. *Decemb.* 1695.

XVII. In tribus miſſis ſolemnibus in die Nativitatis Domini ad ℣. *Et incarnatus*, Celebrans etiamſi ſit Epiſcopus, miniſtri, & omnes, quamvis ſedeant, genuflectunt utroque genu. Idem ſervatur in die Annuntiationis B. M. V. licet non dicatur miſſa de B. M. V. ſicut etiam in die, in qua Annuntiationis officium transfertur. Aliis vero diebus ſi ſedeant, minime genuflectunt, ſed tantum caput profundè inclinant; ſi autem non ſedeant, in ſupremo altaris gradu in medio genuflectunt.

XVIII. Concurſus populi ad Eccleſiam propter aliquam ſolemnitatem exigit, ut

in

in miſſa dicatur *Credo Biſſ. lit. C.* 413. non autem omnis populi concurſus ſufficit, ut *Credo* dicatur in miſſa, alioquin ruralibus in eccleſiis, in quibus ad unicam miſſam totus concurrit populus ſemper eſſet dicendum *Credo*, quod eſt abſurdum: requiritur ergo concurſus populi propter ſolemnitatem. Quamobrem licet in feſto, v. g. S. Joannis Baptiſtæ non dicatur *Credo*, niſi propria in Eccleſia, dicendum tamen eſt ratione concurſus populi ad eccleſiam propter ſolemnitatem confluentis. Item ſi occurrat eccleſiæ titulus, aut ſolemne aliquod feſtum, quod ſit ob aliud impedimentum transferendum, tunc etiamſi miſſa de die non exigat *Credo*, dicendum tamen eſt propter feſtum transferendum, ratione cujus populus ad eccleſiam concurrit. Verum enim vero duæ tunc poſſent miſſæ cantari, altera de officio diei poſt tertiam, altera autem de feſto transferendo poſt nonam ex *Miſſ. Rom. in rubr. general. tit.* 6. Si una tantum cantetur miſſa, debet omnino eſſe de officio diei; poterit tamen ratione concurſus ob ſolemnitatem fieri commemoratio diei transferen-

rendi etiam in miſſis privatis ex *Biſſ. lit. T.* 556. Contrarium tamen videtur ſentiendum, ex eo, quia rubrica, quæ concedebat hujuſmodi commemorationem in miſſis privatis, in miſſali recognito ſublata eſt. Si vero cantetur miſſa de feſto, quod transfertur, cantanda eſt more miſſæ ſolemnis cum *Gloria*, unica oratione, *Credo*, & propria, ſi adſit, præfatione. Quod tamen fieri non poteſt in feſtis ſolemnioribus, & privilegiatis, in quibus nequit alia miſſa cantari, niſi de officio diei, neque facienda eſt de feſto, quod transfertur, ulla commemoratio, quamvis magnus adeſſet populi concurſus. Eo minus hæc alia miſſa de feſto transferendo cantari poteſt, ſi una cum feſto celebritas etiam, populique concurſus in aliam diem transferatur, quia ideo miſſale citatum concedit, ut poſſit de feſto transferendo miſſa cantari, quatenus celebritas, & populi concurſus non transfertur. In fine vero prædictarum miſſarum ſive ambæ cantentur, ſive una tantum de die, dicitur ſemper Evangelium S. Joannis, & non aliud. Dies excepti, in quibus non poteſt, niſi de officio

ſicio diei miſſa cantari, enumerantur infra *num.* 33.

XIX. Sed quænam miſſa cantanda eſt, ſi celebritas feſti, populique concurſus in diem v. g. dominicam transferatur? Utique miſſa cantata celebranda eſt more votivæ ſolemnis abſque ulla prorſus commemoratione, ratione concurſus ob ſolemnitatem, feſtis ſolemnioribus, & dominicis privilegiatis exceptis.

XX. Inter miſſarum ſolemnia dum Celebrans cum miniſtris ſedet ad *Gloria in excelſis* & *Credo*, eo magis ad veſperas, ſi forte proprius adveniat Epiſcopus, aut ſuperior, ſeu Princeps ex DD. indulgentia debent omnes aſſurgere, & aperto capite ſtare, donec ipſe oraverit, ſic recepta conſuetudine permittente. Sacerdos tamen cum miniſtris non debet de gradu ſuo deſcendere, &, ſi ſit Epiſcopus, vel Abbas, mitram nequaquam deponunt.

XXI. Inde ortum eſt, ut plures graviſſimi DD. pro aris, & focis contendant, idem ſervandum eſſe, immo & arctius, tum a choro, tum a ſacris miniſtris, & Celebrante in elevatione SS. Sacramenti;

ti: *ſi enim*, inquit eruditiſſimus *Tonell. lib.* 2. *tit.* 14. *num.* 13. *aſſurgimus Prælato, & Principi, quare Regem Regum Chriſtum ſub accidentibus panis, & vini genuflexi non adoremus? Et ſi cultum latriæ fas eſt interrumpere ad exhibendum honorem homini, cur non licebit interrumpere, immo duplicare ad præſtandum obſequium Deo?*

XXII. Inferunt ergo, quod ſi elevetur SS. Sacramentum non in eodem tantum chori altari, (ubi tamen ex communi non eſt omnino tunc temporis celebrandum) ſed in altari etiam vicino, ab iis, qui ſunt in choro, eſſe genuflectendum. Item ſi ante Celebrantem ad *Gloria*, & *Credo*, & his ſimilia ſedentem elevetur, aut deferatur Sacramentum, debeat illud non ſolum nudo capite (quod certe non eſt omittendum etiam cum profunda inclinatione, quum nihil ſacræ officiat actioni) ſed etiam genuflexus adorare, idemque ſervandum in abſolutione defunctorum ab ipſomet Sacerdote, & miniſtris, niſi actu aſpergat, aut incenſet tumulum, ſeu verſus, & orationem dicat.

XXIII. Conveniunt tamen omnes, cruciferum, & ceroferarios, quibus *Tonell.*

*lib.* 2. *tit.* 3. *num.* 2. ſub finem addit Sacerdotem aliquam SS. Reliquiam geſtantem, numquam debere, ne Sanctiſſimo quidem Sacramento genuflectere; rectius autem fieri, ſi tunc temporis miſſæ proximè non celebrentur, aut ſaltem in elevatione non pulſetur campanula, tunc enim non eſſet utique genuflectendum.

XXIV. Quis neget piiſſimam hanc opinionem? Contrarium tamen verius videtur, videlicet neque a choro, neque a miniſtris, eo magis neque a Celebrante etiam in elevatione SS. Sacramenti eſſe genuflectendum, ob validiſſimam ab ipſis etiam adverſariis ſic exiſtimatam Caramuelis rationem, nimirum, quia cæteris paribus actus communitatis non debet per actum privatum interrumpi; at qui genuflectere ad privatæ miſſæ elevationem, plurium ſingularium eſſet erga Deum latria, ipſa vero canonica officia, quocumque modo præſtita, ſunt actus latriæ communis; non debet igitur latria publica, & communis ob privatam devotionem interrumpi. Immo aliter facere, non eſt ſervare, ſed perturbare ſacrarum actionum ordinem, ut attente

con-

conſideranti facile manifeſtum fiet; qui tamen ordo, quoad omnia ſervandus eſt in Eccleſia, quum ſit ipſa *velut acies ordinata*, & idem Dominus *ordinavit in ea charitatem*. Ordo autem neceſſario requirit, ut quæque res in ſuo conſiſtat loco; ut quis agat quod agit; ut opus unum cum altero etiam præſtantiori numquam confundatur: omnia enim peculiare ſuum tempus habent, dummodo ſerviamus Domino, nihil refert, utrum in hoc, aut in illo ſerviamus ei, qui cor intuetur, & in cujus domo manſiones, & officia multa ſunt. *Omnia* igitur *boneſte*, & *ſecundum ordinem fiant* 1. *Corint.* 14. 40.

XXV. Confirmatur exemplo ab ipſiſmet adverſariis generaliter admiſſo cruciferi, & ceroferariorum. Item in abſolutione defunctorum æque interrumpitur actio ſacra in recitatione verſus, & orationis, ac in reliquis. Ad hæc ſi per ipſos non eſt genuflectendum, quando non pulſatur campanula, cur erit eadem pulſata genuflectendum? Numquid æs ſonans aliquid ſuperaddit excellentiæ, ac majeſtati diviniſſimi Sacramenti?

XXVI. Nec obſtat primo indoctorum ſcandalum, ut quid enim iſti falcem in meſſem mittunt alienam? Fariſæorum ſcandalum iſtud. Attendant ſibi, &, ut convenit, alios in miniſterio ſuo recte ſe gerere arbitrentur, ſicque ſcandalum acceptum aberit, quod ſi non abſit, ipſi ſibi imputent. *An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?*

XXVII. Secundo non obſtat allata ſuperiorum paritas, etenim non in omnibus aptum eſt argumentum a paritate. Quinimo retorquetur argumentum; ſiquidem ipſi Prælati, ipſi Principes, & quotquot alii, qui viderint ſubditos ſuos in actuali ſuo famulatu diſtentos, utique ægre ferunt, ſolentque potius iis proprii muneris interruptionem exprobare juxta vulgarum adagium: *Age, quod agis*. Et quidem mira eſt militaribus in apparatibus hujus rei cuſtodia; cur ergo non magis hæc in ordinatiſſima Eccleſiæ acie ſervanda?

XXVIII. Circa conſuetudinem, hoc tantum ſufficit, ergo *ab initio non fuit ſic*, non ſolum apud veri Dei cultores, ſed & apud Ethnicos ipſos, qui in ritibus

bus falſæ ſuæ religionis fuerunt per omnia religioſiſſimi. Certe quoad cæremonias non interrumpendas penè incredibilia eorum geſta narrantur. Verum hæc, & quælibet alia proprio marte prolata ſapientiori decernenda judicio ſubmitto.

XXXIX. Quæcumque Sacerdoti porrigunt miniſtri prius oſculantur, ac deinde dum ea Celebranti porrigunt, illius etiam manum oſculantur in parte exteriori. Hæc autem oſcula omittuntur quoties ſit expoſitum SS. Sacramentum: excipe tamen ſubdiaconum, qui expleta epiſtola, & diaconum, qui ante Evangelium manum Sacerdotis etiam tunc oſculantur. In miſſa vero defunctorum oſcula omnia omittuntur etiam a ſubdiacono poſt epiſtolam, & a diacono ante Evangelium.

XXX. Qui in choro miſſæ Conventuali aſſiſtit, non poteſt per totum canonem deferre pileolum, in aliis vero divinis officiis uti poteſt S. R. C. 5. *Novemb.* 1713.

XXXI. Ex decreto S. Pii V. pax non datur cum patena, quæ nec ſub commu-

nicantium mento ponenda, niſi qui communionem præbet ſit Epiſcopus.

XXXII. In miſſa votiva ſolemni nulla fit commemoratio etiam dominicæ occurrentis, & in fine nullum aliud legitur Evangelium, quam S. Joannis.

XXXIII. Ob graves igitur cauſas licet ſolemnes miſſas votivas celebrare diebus dominicis, & feſtis duplicibus, exceptis feſtis majoribus Paſchatis, Pentecoſtes cum duobus utriuſque feſti ſequentibus diebus, Nativitatis, Epiphaniæ, Aſcenſionis, & Corporis Domini. Item exceptis Dominica prima Adventus, & Quadrageſimæ; Feria IV. Cinerum. Dominica Palmarum cum tota majori hebdomada.

XXXIV. Graves cauſæ ſunt neceſſitas pluviæ, belli, ſeu cujuslibet mali communis. Huc reducuntur publica SS. Sacramenti expoſitio, ſalus Summi Pontificis, Epiſcopi, ſive Magni Principis periclitantis, & gratiarum actio pro communi gratia; hæc enim omnia ad commune bonum ſpectant. Cantari etiam poteſt ob concurſum populi S. R. C. 19. *Maii* 1607.

1607. hoc eſt ob concurſum ratione ſolemnitatis.

XXXV. De privata miſſa nihil hic; ſatis enim luculenter de ea vir egregius Hippolytus Tonelli in aureo ſuo Enchiridio, utique digniſſimo, qui in omnium Sacerdotum manibus aſſidue verſetur.

XXXVI. Chorus ſedet ad epiſtolam prophetias, graduale, tractum, ab offertorio uſque ad adventum diaconi pro incenſatione, ac deinde uſque ad præfationem. Item ad antiphonam, quæ dicitur *Poſtcommunio*. Stat autem ad introitum, orationes, Evangelia, præfationem, poſt calicis elevationem uſque dum data ſit pax, & poſt communionem regulariter uſque ad finem.

XXXVII. Dum Celebrans ſeipſum ſignat, ſiniſtram ad pectus admovet; dum ſignat librum, tenet eamdem ſuper ipſum; dum ſignat reliqua, tenet ſiniſtram ſuper altare, vel dum id fieri non poteſt, eam admovet ad pectus.

XXXVIII. Antiphona *Ne reminiſcaris* pro miſſæ præparatione duplicatur non ſolum in duplicibus, at etiam ante eas miſſas, quæ duplici dicuntur ritu, hoc

eſt cum unica oratione ſive ſint votivæ, ſive pro defunctis; quemadmodum & in vigilia Nativitatis D. N. J. C. Verum preces ad miſſam præparatoriæ poſſunt omitti, quando celebranda eſt miſſa de *Requiem*; at ſi dicantur, debet in fine dici *Gloria Patri*, ſicut etiam tempore Paſſionis, excepto ultimo triduo. Tempore vero Paſchali additur antiphonæ *Alleluja*.

XXXIX. Ex probabiliſſima ſententia nullum eſt peccatum, nec veniale, omittere preces ante, & poſt miſſam; immo & orationes, quas dicit, dum ſacris induitur Sacerdos veſtibus pro celebranda miſſa ſive privata, ſive ſolemni, ſive de officio diei, ſive de *Requiem:* pro canendis autem veſperis nullatenus dicuntur.

XXXX. Myſtica expoſitio miſſæ videatur apud Durandum, & Gavantum.

XXXXI. Pro coronide obſerva, quod in ſymbolo non eſt caput inclinandum ad verba, *Et in Spiritum Sanctum*, nec ad *Patrem omnipotentem;* ſufficit enim fuiſſe inclinatum ad verba *In unum Deum*, in quo omnes Perſonæ includuntur. Nec inde inferas quod neque ſit inclinandum ad *Jeſum Chriſtum*, eo quod in illis conti-

ti-

tineatur verbis *In unum Deum;* ſiquidem de hoc alia peculiaris adeſt ratio, tum quia id in rubricis habetur expreſſum, tum pariter quia in verbis *Jeſum Chriſtum* non tantum veneramur Deum conditorem ſed etiam peculiariter ſecundam SS. Trinitatis perſonam, quæ mortalitatis humanæ ſpoliis induta, peccata noſtra portavit, ut nos de æternis tenebris erutos ad immortalem perduceret claritatem.

In Feſto Titularis Eccleſiæ Cathedralis, ſi ſit feſtum Martyris, Confeſſoris, Virginis, Viduæ, alteriuſve non virginis, excepta S. Maria Magdalena, non eſt dicendum *Credo* niſi in propria Eccleſia Titularis, de quo celebratur Feſtum, quia in feſtis SS. Martyrum, Confeſſorum, Virginum &c. non dicitur *Credo* juxta illud *M. C. V. non credit;* ſecus in feſto, & octava Dedicationis Eccleſiæ, tunc enim omnes Celebrantes miſſam Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis extra eamdem Eccleſiam, adhuc tenentur dicere *Credo*, quia *Credo* convenit ſimpliciter feſto Dedicationis Eccleſiæ.

Miſſa cum *Gloria*, & *Credo* poteſt decantari in illa Eccleſia, ubi eſt altare

ere-

erectum ſub invocatione alicujus Sancti tatione concurſus ad præſcriptum Rubricarum, in miſſis tamen privatis omittendum eſt *Credo* S. R. C. 1. *April.* 1662.

## §. II.

*Ritus Miſſæ ſolemnis.*

I. DUo acolythi ad menſam paramentorum præſto ſint, quorum primus diaconum, ſecundus adjuvet ſubdiaconum eo modo, quo Sacerdotem veſtit acolythus in miſſa privata. Uterque miniſter poſt manuum lotionem accipit omnia ſua paramenta præter ſolum manipulum, quem aſſumunt ambi poſtquam veſtiverint Sacerdotem. Non tenentur ipſi recitare orationes pro unaquaque veſte aſſignatas, has ſiquidem ſolus Sacerdos recitat.

II. Miniſtri ſic parati veſtiunt Sacerdotem, cui diaconus amictum, albam, cingulum, ſtolam, & planetam porrigit, adiuvante ſubdiacono, & manipulum offerente; veſtiuntur autem omnes, etiam Celebrans, capite prorſus detecto.

III. In-

III. Indutus cum miniſtris Celebrans paramentis officio diei congruentibus, antequam exeat e ſacriſtia imponit aperto capite in thuribulo incenſum, quod & benedicit. Thuriferarius igitur dat ſine oſculis apertam naviculam diacono, qui eam ſiniſtra tenet, dextera accipit cochlearis manubrium, quod oſculatur, ac porrigit celebranti, cujus interim manum pariter oſculatur. Subdiaconus ſtat ad celebrantis ſiniſtram. Thuriferarius dexterum genu aliquantulum flectens, tenet ſiniſtra ſuperiorem thuribuli anulum, dextera vero ejusdem thuribuli aperti, & aliquantulum elevati catenulas circa medium verſus celebrantem, ut infra, quum de ritu incenſandi ſermonem inſtituemus. Tunc Celebrans facta cum omnibus aperto capite profunda reverentia Cruci, vel imagini in ſacriſtia exiſtenti, accedit ad altare cooperto capite, ſed prius miniſtri tecto capite ſalutant celebrantem, quaſi ſe commendantes ejus orationibus, qui aliquantulum iis caput inclinat.

IV. In acceſſu ad altare hic ſervetur ordo. Præcedit thuriferarius cum thuribulo fumigante, quod dextera manu defert

fert, pollice in anulum majorem immiſſo, anulum vero catenæ mediæ, ſive operculi anulari digito ſuſtentat; ſiniſtra manu pedem naviculæ tenet, itaut pars, quæ aperitur, a parte ſit exteriori non pectus reſpiciat. Sequuntur ceroferarii cum candelabris accenſis; qui a dextra parte incedit, apponat dexteram ſuam nodo candelabri medio, ſiniſtram pedi ejusdem, qui vero a ſiniſtra incedit, ſiniſtram nodo dexteram pedi: utraque autem manus, quæ pedes tenet, cingulo correſpondeat. Ceroferarios ſequitur cæremoniarius ſolus aperto capite, poſtea ſubdiaconus, inde diaconus, unus poſt alium, junctis uterque manibus, ultimo Celebrans manibus pariter junctis.

V. Si Celebrans pluviali ſit indutus pro aſperſione aquæ benedictæ, miniſtri pares cum celebrante procedunt, & pluvialis extremitates aliquantulum elevatas hinc inde ſuſtentant.

VI. Si contingat tranſire ante altare SS. Sacramenti, Celebrans caput detegat, quum non deferat calicem, & genuflectat unico genu medius inter miniſtros, qui debent eadem cum ipſo præſta-

ſtare, ejuſque brachia ſuſtinere, dum genuflectit, & ſurgit.

VII. Si tranſeant per medium chori, ubi adſit clerus, aut ante illum, Celebrans, miniſtri, cæremoniarius, omnes nudo capite clerum ſalutant, omnibus de choro ſtantibus, & nudo capite conſalutantibus, ex Cæremoniario recognito ſub Benedicto XIII. Si tranſeant ante altare majus, ad quod forte miſſa non eſt celebranda, & in quo non aſſervatur SS. Sacramentum, miniſtri adhuc genuflectunt Cruci; Celebrans vero tantum profunde Cruci ſe inclinat, omnes detecto capite.

VIII. Quum pervenerint ante infimum altaris gradum, ſtatim bireta deponunt, Celebrans quidem in manu diaconi, diaconus vero, & ſubdiaconus in cæremoniarii, vel alterius manu. Deinde ſi in altari ſit tabernaculum SS. Sacramenti, omnes etiam celebrans genuflectunt ſuper infimum gradum unico genu; quod ſi non adſit Sacramentum, Celebrans Cruci caput ſolum profunde inclinat, miniſtri vero etiam Cruci, quæ eſt in altari, genuflectunt non tantum hic, ſed in tota miſſa in acceſſu, ac receſſu a medio

al-

altaris, & quotieſcumque contigerit eos ante illam tranſire.

IX. Unum notandum, quod ſi miniſtri ſint canonici, Cruci non genuflectunt.

X. Bireta deponuntur a cæremoniario extra credentiam v. g. in ſcamnis, ubi ſunt Celebrans & miniſtri ſeſſuri, facta prius altari ab ipſo cæremoniario genuflexione.

XI. Antequam Celebrans incipiat confeſſionem, debet per cæremoniarium poni miſſale apertum ſuper ſuum cuſſinum in cornu epiſtolæ, ſi minus illud fuerit antea collocatum.

XII. Facta debita Cruci, vel Sanctiſſimo reverentia, Sacerdos medius inter diaconum a dextris, ſubdiaconum a ſiniſtris facit confeſſionem; cui miniſtri reſpondent.

XIII. Statim ac Celebrans incipit *In nomine Patris &c.* non autem quando adhuc eſt in ſacriſtia, canitur introitus in choro.

XIV. Ad confeſſionem, depoſitis antea candelabris acolythi, thuriferarius vero thuribulo, genuflectunt utroque genu in plano, omnes prope credentiam mani-

ni-

nibus junctis, facie ad altare converſa, ſignantes ſe, caput inclinantes, & pectus percutientes una cum miniſtris.

XV. Cæremoniarius genuflectit ubi vult a latere ad functionem ſuam commodiori, cui neque ſtanti poteſt certus in presbyterio locus aſſignari: ut plurimum ſtabit a cornu epiſtolæ. Ad introitum ipſe ſignat ſe, & caput cum Celebrante ſemper inclinat, non tamen inclinat ſe, aut percutit pectus ad ejus confeſſionem. Sed hæc præſtat ad confeſſionem miniſtrorum, & cum iis inclinat ſe verſus celebrantem ad verba *Tibi Pater*, ac *Te Pater*.

XVI. Dum Celebrans ad *Confiteor* dicit *Vobis*, & *Vos* ad diaconum ſe convertit, quum dicit *Fratres* ad ſubdiaconum. *Ad miſereatur veſtri* iterum ſe vertit ad diaconum primo, deinde ad ſubdiaconum. Miniſtri debent uſque ad *Indulgentiam &c.* excluſive profundius inclinare ſe quam Celebrans; quod ſemper debent in miſſa ſervare. Extra pectoris percuſſionem &c. manus ſemper junctas teneant a principio confeſſionis uſque ad finem. Signum etiam Crucis una cum celebrante ſibi faciunt, quod in tota pariter miſſa ſervant,

ex-

excepto ſubdiacono, quando tenet patenam. Ad verba *Deus tu converſus* inclinant ſe cum celebrante, profundius tamen, quam ipſe, ut dictum eſt.

XVII. Aſcendente manibus junctis ad altare Sacerdote, diaconus elevat anteriorem illius veſtem manu ſiniſtra, dextera pectori admota, ſubdiaconus manu dextera, ſiniſtra admota pectori, quod in ſimilibus etiam faciunt, aſcenduntque non præmiſſa genuflexione, ſimul cum Celebrante medio inter eos. Clerici ſurgunt omnes, in eodem ſtantes loco.

XVIII. Ubi fuerit ad medium altaris Celebrans, inclinatus manibus junctis, & ſuper altare poſitis, itaut digiti parvi dumtaxat frontem, ſeu medium anterioris partis tabulæ, ſeu menſæ altaris tangant, reſiduo manuum inter altare, & ſe retento, pollice dextero ſuper ſiniſtrum in modum Crucis poſito (quæ omnia ſemper obſervantur, quum manus junctæ ſuper altare ponuntur) dicit *Oremus te Domine*, ac deinde oſculatur altare. Miniſtri non oſculantur altare, ſed ob primum acceſſum Cruci genuflectunt ſuo quiſque

lo-

loco, non tangentes altare, ſed junctis manibus, ac ſtatim ſurgunt.

XIX. Oſculato altari Celebrans adhuc in medio ſtans ponit incenſum in thuribulum ad altare thurificandum, ut infra.

XX. Incenſatione peracta, Celebrans ſolus legit ſubmiſſa voce introitum, diaconus ſtat in cornu epiſtolæ in ſecundo gradu a dextris Celebrantis, ſubdiaconus a dextris diaconi in plano, linea recta manibus junctis. Dicunt ibidem cum celebrante *Kyrie &c.* uſque ad ultimum, quo completo collocant ſe unus poſt alium a tergo celebrantis.

XXI. Ad ultimum *Kyrie* cantatum a choro omnes eodem tempore, eodemque ordine, quo ſtabant in cornu epiſtolæ, hoc eſt per gradum ſuum, accedunt ad altaris medium, Celebrans Cruci caput inclinat, quod ſemper ſervat, dum accedit; ſeu recedit a medio, diaconus, & ſubdiaconus locant ſe unus poſt alium a tergo Celebrantis, facta ibidem genuflexione Cruci unico genu.

XXII. Intonato a Sacerdote hymno *Gloria in excelſis*, diaconus, & ſubdiaco-

nus inclinato capite ad verbum *Deo* una cum Sacerdote, iterum ubi ſunt genufle-ctentes aſcendunt ad altare, ubi ſine alia genuflexione diaconus a dextris, ſubdiaconus a ſiniſtris hymnum ſimul cum celebrante, ſubmiſſa voce, manibus junctis proſequntur uſque ad finem, caput inclinantes, & in fine ſe cum Sacerdote ſignantes; quod ſemper faciunt in tota miſſa, ſicuti quando Sacerdos genuflectit, ſurgit &c. miniſtri dum aſcendunt, dextera ſibi fimbrias albæ elevant, ſiniſtra pectori admota. Diaconus aliquantulum in loco ſuo expectat ſubdiaconum, & ſic ambo æqualiter hinc inde aſcendunt. Hic autem ordo ſervetur per omnia quum dicitur *Credo*.

XXIII. Quum dicitur *Dominus vobiſcum*, oratio, præfatio, Pater noſter, miniſtri ſtant unus poſt alium a tergo Sacerdotis, ac ſemper in acceſſu, ac receſſu a medio genuflectunt. Verum ad verba *Dominus vobiſcum* numquam Sacerdoti caput inclinant, ſed tantum Cruci ad *Oremus*.

XXIV. Ad ſedendum ſemper debent per breviorem viam procedere recto trami-

mi-

mite. Facta igitur Cruci a Celebrante inclinatione, vel, ſi adſit Sanctiſſimum in tabernaculo, genuflexione, a miniſtris vero ſemper genuflexione, procedunt per gradus epiſtolæ laterales, unus poſt alium, præcedente ſubdiacono, ſubſequente diacono, ultimus Sacerdos, omnes junctis manibus, ac nudis capitibus. Cæremoniarius accepto e ſede celebrantis bireto, retrahit ſe verſus altare, facie ad populum verſa, cedens tranſeuntibus locum.

XXV. Dum ab altari diſcedunt, vel antequam ſedeant, ſi in choro cantetur, *Adoramus te*, *Gratias agimus*, *Jeſu Chriſte*, ſimul omnes ſiſtunt, ad altare ſe vertunt, & caput inclinant; convenientius tamen ſtant ad altare, quouſque verba illa cantata ſint. Illud autem diligenter hic adverte, quod dum ſunt in via de ſcamno ad altare, ſi tunc ante ipſos deferatur, aut elevetur SS. Sacramentum, nequaquam genuflectunt, ſed iter ſuum continuate progrediuntur. *Biſſ. lit. C.* 197. *§.* 17. *&* 19.

XXVI. Celebrans ſedet, elevantibus miniſtris poſteriorem planetæ partem, & caput cooperit, porrigente ei diaco-

no cum quaſi oſculo biretum a cæremoniario acceptum. Tum diaconus, & ſubdiaconus acceptis ſibi biretis ſuis profundè ſe celebranti inclinant, & aliquantiſper invicem ſibi. Diaconus a dextris, ſubdiaconus a ſiniſtris ſedent, elevantes ſibi veſtes, & caput cooperiunt. Celebrans, ac miniſtri prius ſedeant, mox caput tegant.

XXVII. Ad verba *Adoramus te*, *Gratias agimus*, *Jeſu Chriſte; Suſcipe deprecationem noſtram*. Item in *Credo* ad verba *Simul adoratur*, caput aperiunt, poſito ſuper genu dexterum bireto, verſa ad illud interiori bireti parte. Ad verba *Et incarnatus eſt* non ſolum caput diſcooperiunt, ſed etiam ad verba *Et homo factus eſt*, illud aliquantulum inclinant. In fine vero non ſe rurſus ſignant Crucis ſigno.

XXVIII. Circa finem hymni, vel ſymboli Celebrans, & miniſtri invitantur ad ſurgendum a cæremoniario, qui idcirco procedit ante Celebrantem inclinans ſe illi, ac deinde ſe recipiens ad ſiniſtram ſubdiaconi, donec procedendum ſit ad altare. Miniſtri ſtatim ſurgunt, bireta ſua

ſu-

ſuper ſuam ſedem deponentes, diaconus vero cum quaſi oſculis accipit a celebrante adhuc ſedente ejus biretum, quod in illius collocat ſede. Facta deinde inclinatione, miniſtri, unus poſt alium procedunt ad medium altaris per viam longiorem, ideſt per planum cappellæ junctis manibus; ſi dum ſunt in via ante ipſos deferatur, aut elevetur SS. Sacramentum, non genuflectunt, ſed iter ſuum proſequuntur. Primus incedit cæremoniarius, inde ſubdiaconus, poſtea diaconus, qui dum pertingit ad angulum infimi gradus altaris, paululum retrocedit, ut locum præbeat Celebranti, cui ſe etiam inclinat. Quum celebrans ante medium infimi gradus altaris pervenerit, debitis ab omnibus factis reverentiis altari, aſcendit, miniſtris anteriores illius veſtes elevantibus, & ſtatim oſculatur altare in medio, quod ſemper facit, quoties de ſede accedit ad altare, & ſe convertens ad populum, illum de more ſalutat, cantans *Dominus vobiſcum*, ſtantibus uno poſt alium linea recta ab ejus tergo miniſtris, & quidem junctis ante pectus ma-

nibus, nullatenus tamen ſe celebranti inclinantibus.

XXIX. Si ſedendum non ſit, quod utique minus decet coram SS. Sacramento in altari expoſito, miniſtri ſtant ad *Gloria*, & *Credo* apud altare quaſi pares, ſed paulo poſt Celebrantem, & hymno, vel ſymbolo completo, facta ibidem genuflexione, deſcendunt ad gradus ſuos, unus poſt alium.

XXX. Dicto *Dominus vobiſcum* Celebrans per ſuppedaneum de more, diaconus a dextris celebrantis per ſecundum gradum, in quo eſt, ſubdiaconus a dextris diaconi per planum, ubi reperitur, procedunt ad cornu epiſtolæ ſine ulla præcedente genuflexione: ibi celebrans jungens manus, & caput Cruci inclinans, quod etiam miniſtri inclinant junctas manus tenentes, dicit *Oremus*, orationem, vel orationes extenſis manibus cantans, ad quas miniſtri ſtant in linea recta, unus poſt alium, junctis ante pectus manibus, & ad nomen *Jeſu*, vel ſancti, de quo canitur miſſa, vel ſit commemoratio, caput cum celebrante inclinant. In fine orationum miniſtri non reſpondent

*Amen;*

*Amen*; ſat enim eſt, ut chorus reſpondeat.

XXXI Circa finem ultimæ orationis cæremoniarius, facta Cruci profunda reverentia, accipit de credentia epiſtolarum librum, quem tenens ambabus manibus per ejus latera in medio, ea parte, quæ aperitur, ad dexteram ſuam converſa, accedit ad ſubdiaconum ſtantem, ut ſupra, poſt diaconum in plano in cornu epiſtolæ, librum per ejus latera tradit ſubdiacono, qui utraque manu inferioribus libri angulis ſuppoſita, eum accipit ſine oſculis de manu cæremoniarii cum mutua mediocri inclinatione, deferens illum elevatum ſupra pectus, parte libri aperienda ſubdiaconi dexteram reſpiciente, vadit uſque ad altaris medium, quem cæremoniarius a ſiniſtris illius comitatur genuflectens cum eo unico genu, quod ſemper fit, niſi aliter præſcribatur. Facta ſuper infimum gradum genuflexione, vadit ſemper per planum ad cornu epiſtolæ contra altare, & abſque alia genuflexione cantat alta, & ſonora voce epiſtolam, ipſe ſibi tenens librum, cæremoniario a ſiniſtris ejus ali-

quantulum poſt illum ſtante. Subdiaconus dum cantat, numquam genuflectit, ſtat vero aliquantulum diſtans a gradibus altaris.

XXXII. Interim Celebrans voce ſubmiſſa legit epiſtolam, aſſiſtente ſibi diacono a dextris, & item graduale, tractum &c. uſque ad *Munda cor meum*. In fine epiſtolæ diaconus dicit ſubmiſſa voce *Deo gratias*. Ad verba, ad quæ celebrans genuflectit ſive in epiſtola, ſive in tractu &c. ipſe etiam genuflectit.

XXXIII. Epiſtola cantata ſubdiaconus claudit librum, quem defert, ut prius; cum cæremoniario facit iterum genuflexionem altari in medio; redit per planum ad Celebrantem in cornu epiſtolæ laterali, aſcendit ſuper gradum altiori viciniorem, retrahente ſe aliquantulum diacono, ibique genuflexus deflectit ſuperiorem libri partem verſus Celebrantem, cujus oſculatur in exteriori parte dexteram ſuper ipſum librum extenſam. Tunc celebrans ſiniſtram ſuper altare poſitam tenens pariter extenſam, dextera jam deoſculata benedicit ſubdiacono genuflexo, & caput inclinanti Crucis formans

mans ſignum, ſed nihil dicens. Hæc benedictio omittitur in miſſis defunctorum.

XXXIV. Tum ſubdiaconus tradit librum cæremoniario, qui deponit illum ſuper credentiam, ipſe vero ſubdiaconus accipit miſſale clauſum (indice ſiniſtræ manus interpoſito, ut citius aperiatur) cum cuſſino ante pectus, & ambulando per planum, non per gradus, facta in medio genuflexione, defert illud ad cornu evangelii, ubi ita locat, ut poſterior pars miſſalis idem cornu reſpiciat. Ibi ſtans in ſecundo gradu, vel alio commodiori ad ſiniſtram Celebrantis, manu ſua ſiniſtra librum ſuſtentat, & elevat, & ſi opus ſit, folia vertit dextera, qua etiam Evangelii initium antea indicat. Signat autem ſe, caputque cum celebrante inclinat, & tam in principio, quam in fine celebranti reſpondet.

XXXV. Celebrans junctis manibus ad medium accedit altaris, ubi junctis ante pectus manibus, non autem ſuper altare poſitis, elevatiſque ad Deum oculis, ac ſtatim demiſſis, tum profunde inclinatus dicit ſecreto *Munda cor meum*, deinde vadit ad librum, ubi ſtans verſus il-

illum junctis ante pectus manibus, legit Evangelium, quod ibi in fine non oſculatur, nec dicit *Per evangelica dicta*. Tum ſtat facie ad altare converſa medius inter cornu evangelii, & medium altaris. Subdiaconus librum collocat propius ad medium altaris pro offertorio, & facta ibidem genuflexione, deſcendit in planum inter cornu evangelii, & medium verſa facie ad altare.

XXXVI. Dum Sacerdos incipit Evangelium legere, diaconus adhuc ſtans in cornu epiſtolæ accipit de manu cæremoniarii Evangeliorum librum, eodem modo quo ſubdiaconus accipit. Tum ſolus abſque ullo comite, qui datur miniſtris tantum ad aliquid cantandum, ſeu quando exeundum eſt e presbyterio, procedens per planum presbyterii, non per gradus, facta prius in medio ſuper infimum gradum genuflexione, collocat librum quaſi jacentem ſuper altare, non omnino in medio; locat autem ita, ut pars, quæ aperitur cornu evangelii reſpiciat, ibique in medio ſtans junctis ante pectus manibus paululum verſus cornu epiſtolæ, celebrantem expectat ſi non dum Evange-

lium

lium legit, vel, ut alii volunt, facta iterum genuflexione accedit ad ſiniſtram celebrantis, & dexteram ſubdiaconi, quaſi inter utrumque medius, ut audiat, ſi adhuc legatur, Evangelium ſtans junctis manibus.

XXXVII. Completo a Celebrante Evangelio, diaconus eidem miniſtrat, dum ponit, & benedicit de more incenſum. Quare thuriferarius per laterales epiſtolæ gradus fere ad medium altaris ad ſuppedaneum aſcendit, facta ibi genuflexione.

XXXVIII. Peracta impoſitione incenſi thuriferarius, facta iterum in gradu, ubi eſt, genuflexione deſcendit per laterales epiſtolæ gradus in planum. Subdiaconus ſtat in loco ſuo, ut dictum eſt. Diaconus ſuper ſuppedaneum genuflexus manibus junctis, ac profunde inclinatus dicit ſecreto *Munda cor meum*, quo dicto ſurgit, ambabus accipit librum manibus, iterumque genuflexus utroque genu in medio ipſius gradus verſus celebrantem ſtantem ubi prius, aliquantulum vero ad diaconum converſum, petit intelligibili voce benedictionem dicens,

*Ju-*

*Jube Domne benedicere*. Tum Celebrans junctis manibus dicit, *Dominus ſit in corde tuo &c.* & quum dicit *In nomine Patris &c.* ſiniſtra pectori admota, producit dextera Crucis ſignum ſuper diaconum, qui reſpondet *Amen*, & celebrantis dexteram extenſam ſuper librum ideo aliquantulum verſus eum deflexum oſculatur. Mox ſurgit, & celebranti ſe inclinat, & deferens ante pectus ambabus manibus librum deſcendit per latus ſuum ſiniſtrum in planum. Tunc omnes cum eo genuflectunt, & ad locum evangelii procedunt.

XXXIX. Præcedit thuriferarius, inde ceroferarii cum candelis aceenſis, poſtea diaconus habens a ſiniſtris ſubdiaconum, ille portans ambabus manibus librum clauſum, & ante pectus elevatum, hic manibus junctis. Subdiaconus ambabus manibus librum accipit, ac tenet apertum, atque ita elevatum, ut pars libri ſuperior ſit oculis ſuis aliquantulum altior, ne diaconum reſpiciat. Sic autem ſe locat, ut faciem vertat nec totam ad altare, nec totam ad populum, ſed eo fere modo, quo ponitur liber ſu-

per

per altare ad Evangelium legendum. Numquam ibi ſe inclinat, numquam ſe ſignat, numquam genuflectit. Hinc inde ſubdiacono aſtant ceroferarii facie ad diaconum verſa, terga vertentes ad eam partem, quæ pro aquilone figuratur, ſicut ſe vertit ſubdiaconus; ceroferarii quoque non ſe inclinant, non ſe ſignant, non genuflectunt. Turiferarius ſtat a ſiniſtris diaconi poſt ipſum leviter thuribulum agitans, elevata nonnihil operculi catenula, ne ignis extinguatur. Cæremoniarius ſtat a tergo diaconi quinque, vel ſex palmis diſtans. Si non adſit cæremoniarius, thuriferarius ſtet a dextris diaconi.

XXXX. Diaconus itaque junctis ante pectus manibus ſonora voce cantat *Dominus vobiſcum;* quum dicit *Sequentia S. Evangelii* dexteræ manus pollice ſignat initium textus evangelici, reliqua manu extenſa, & digitis ſimul junctis & extenſis, ſiniſtra ſuper librum poſita. Deinde eodem pollice ſignat ſeipſum in fronte, ore, & pectore, ſiniſtra pectori admota. Signat autem tam librum, quam ſe non ungue pollicis, ſed pulpa. Tum accipit

per

per latus ſuum dexterum a cæremoniario, ſi adſit, aliàs a thuriferario ſine oſculis thuribulum, & facta ante, & poſt libro inclinatione ob ſacri textus reverentiam, ter librum incenſat, ſemel in medio, ſemel in libri dextera, quæ diaconi ſiniſtræ correſpondet, ac ſemel in libri ſiniſtra, dexteræ diaconi correſpondente. Mox per latus ſuum ſiniſtrum reddit thuribulum cæremoniario, ſeu thuriferario illud abſque oſculis recipienti, & proſequitur manibus junctis Evangelium. Si genuflectendum ſit, ſolus diaconus verſus librum genuflectit, thuriferarius, & cæremoniarius verſus altare.

XXXXI. Celebrans poſt impertitam diacono benedictionem, facta in medio Cruci reverentia, immediate confert ſe ad cornu epiſtolæ fronte ad altare converſa, donec diaconus incipiat *Dominus vobiſcum*, tunc enim ſtatim ſe convertit erga miniſtros ad cornu evangelii, ita tamen, ne terga prorſus vertat ad altare, ſic ſtans junctis manibus uſque dum totum abſolvatur Evangelium. Quum diaconus cantat *Sequentia S. Evangelii*, eodem modo, ac tempore, quo diaconus, ipſe

ipſe quoque ſe ſignat in fronte, ore, ac pectore, quod omnes faciunt præter ſubdiaconum, thuriferarium, & ceroferarios utpote impeditos. Ad nomen *Jeſu* caput omnes inclinant, verſus altare, præter Diaconum, qui caput verſum librum inclinat; ad nomen *Mariæ*, vel ſancti, de quo fit officium, vel commemoratio, omnes verſus librum, ſemper tamen profundius ad nomen *Jeſu*, quod eſt ſuper omne nomen. Si genuflectendum ſit, celebrans id facit verſus altare, in quo Crux erigitur, cui debetur adoratio. Solus diaconus verſus librum genuflectit.

XXXXII. Diaconus finito Evangelio, ſiniſtra pectori admota, dextera indicat Evangelii initium ſubdiacono, ſtatimque ſe retrahit aliquantiſper, ne ſubdiaconum tranſeuntem impediat. Subdiaconus autem ſubito recta via defert librum evangelii apertum, & ſupra oculos elevatum, nullam faciens reverentiam, ſeu genuflexionem, quamvis in altari ſit expoſitum SS. Sacramentum, propter evangelici textus venerationem. Quum pervenerit ad Celebrantem indice manus dexteræ oſtendit evangelii initium, quod ei offert oſcu-

lan-

landum; Sacerdos vero ibi oſculatur aliquantulum inclinatus, & ambabus manibus librum ſibi appropinquans, dicendo *Per evangelica dicta*. Tum ſubdiaconus claudit librum, & paululum recedens, celebranti profunde ſe inclinat, ibique converſus, ad altare genuflectit, tum deſcendit in planum a latere epiſtolæ, ubi ſiſtit, librumque tradit cæremoniario, qui defert illum ad credentiam. Interim diaconus ſtans in medio plani accipiens thuribulum ſine oſculis a thuriferario, converſus ad celebrantem ſtantem junctis manibus in cornu epiſtolæ, triplici ductu illum incenſat exhibitis ante, & poſt bebitis inclinationibus etiam fumo deficiente; non enim ponendum eſt thus pro incenſando celebrante.

XXXXIII. Acolythi ſtatim poſt Evangelium deferunt ad locum ſuum candelabra.

XXXXIV. Celebrans ſtatim poſt incenſationem ad altare converſus, vadit ad medium contra Crucem, ubi ſtans extendit, ac elevat jungitque manus incipiens, ſi dicendum ſit, alta voce *Credo*, caput ad *Deum* tantum inclinans,

non

non autem elevans tunc oculos, miniſtris poſt eum ſtantibus, ac deinde aſcendentibus, & cum eo proſequentibus, ut dictum eſt ad *Gloria in excelſis*.

XXXXV. Diaconus igitur poſt incenſatum Celebrantem aſcendit ad ſecundum altaris gradum ibique ſtat dum celebrans incipit *Credo*. Subdiaconus item poſt incenſationem redit ad medium plani poſt diaconum, ubi genuflectit, & ſurgit, ut etiam fecerat diaconus. Quum Sacerdos dicit *Deum*, uterque, immo omnes caput inclinant. Tunc, non prius, ideſt poſt vocem *Deum*, facta ſuis in locis genuflexione, miniſtri ad celebrantem aſcendunt, & proſequuntur cum eo ſymbolum. Ad verba *Et incarnatus eſt* prolata ſubmiſſa voce a Celebrante, & miniſtris, ille, & iſti, & omnes genuflectunt, ſi ſedendum ſit: aliàs ſecus, quum genuflectere tunc debeant, quando eadem verba cantantur in choro. Acolythi ad *Incarnatus* ſedentes profunde ſe inclinant; qui vero tempore ſymboli ſtant, ad prædicta verba ſuis in locis verſus altare genuflectunt.

XXXXVI. Si ſit prædicandum, ſi con-

cio ſit habenda vel in explicationem Evangelii, vel in Sanctorum laudem, ſtatim finito Evangelio, minime poſt offertorium, concionator prædicat, & ſermone, ſeu concione expleta, dicatur *Credo*, vel ſi non ſit dicendum, cantetur offertorium. Si vero ſermo ſit habendus in laudem magni alicujus viri defuncti, vel pro SS. Sacramenti expoſitione, pro gratiarum actione, pro Jubilæi publicatione, pro pace, & ſimilibus, habeatur completa miſſa, poſtquam celebrans, depoſita tunc planeta, pluviali eſt indutus. Si ipſe celebrans concionetur in miſſa, fiet concio finito Evangelio, & ſedebit ſuper nudo ſcamno in cornu evangelii capite cooperto.

XXXXVII. Poſt cantatum in choro *Et homo factus eſt*, cæremoniarius ſurgit, & procedens ante Celebrantem, ſe illi profunde inclinat, ac deinde minus profunda inclinatione convertens ſe ad diaconum admonet eum de burſa deferenda. Surgit diaconus, ac depoſito bireto ſuper ſedem ſuam facit cum cæremoniario profundam celebranti reverentiam, & aliqualem ſubdiacono, qui cum diacono ſurgens, & præ manibus biretum ſu-

um

um tenens ſtat ante ſedem ſuam erectus, donec ad locum ſuum diaconus revertatur. Celebrans minima cooperti capitis inclinatione, & ſubdiaconus æqualiter diacono correſpondent.

XXXXVIII. Diaconus per breviorem vadit cum cæremoniario ad credentiam, ubi cæremoniarius facie ad diaconum converſa ambabus manibus porrigit ei burſam corporalium ita ut pars burſæ aperta diaconum reſpiciat. Diaconus ambabus manibus defert burſam elevatam uſque ad faciem, & quaſi jacentem, parte aperta ad ſe converſa, tenens burſam per latera pollicibus, & indicibus deſuper, cæteris vero digitis ſubtus eam poſitis, inceſſu gravi, ſolus procedit per longiorem viam ad medium infimi gradus altaris, ubi facta genuflexione, aſcendit ad ſuppedaneum, & in medio altaris extrahit corporale de burſa, quam erectam collocat ex parte evangelii, deinde corporale explicat ita, ut ora ejus oram altaris contingat, & ejuſdem Crucem, ſi adſit in corporali acu picta, ad anteriorem menſæ partem convertit, ut illam oſculetur Sacerdos in altaris oſcu-

latione. Tum facta ibidem in medio genuflexione ſuper ſuppedaneum redit per breviorem viam ad Celebrantem, cui facta profunda inclinatione, & mediocri ſubdiacono, utriſque proportionaliter ei correſpondentibus, ſedet, & caput cooperit, quod & ſubdiaconus facit.

XXXXIX. Si Celebrans, & ſubdiaconus ad altare ſint, & non ſedeant, finito ℣. *Et incarnatus eſt*, diaconus per breviorem vadit ad credentiam, ex qua ſumit burſam cum corporali, deferens illam per longiorem viam, & facta genuflexione Cruci ſuper infimum altaris gradum, aſcendit ad illud, & interim celebrans paululum recedit e medio verſus cornu epiſtolæ, ſubdiaconus vero poſt Celebrantem retrocedit, donec diaconus explicet corporale, qui tamen videat, ne perveniens ad altare ullam faciat celebranti reverentiam. Explicato corporali, celebrans iterum ſe recipit ad medium, diaconum habens a dextris, ſubdiaconum a ſiniſtris.

L. Per hoc autem, quod poſt verba *Incarnatus eſt* corporale explicetur, oſtenditur, quod Chriſtus poſt incarnationem

ſu-

ſuam cœpit occulta redemptionis noſtræ myſteria manifeſtare.

LI. Circa ſymboli finem, dato a cæremoniario ſigno, Celebrans, & miniſtri ſurgunt, ac præcedente cæremoniario vadunt manibus junctis, & omnes aperto capite ad medium altaris, & cætera præſtant ut in reditu poſt *Gloria in excelſis*.

LII. Si nolit Celebrans ad ſymbolum ſedere, tunc ipſe, & miniſtri ad verba *Deſcendit de cœlo* a choro cantata, ad ſecundum altaris gradum deſcendunt, & ad verba *Incarnatus eſt* utroque genu ſuper ſuppedaneum genuflectunt. Quod ſi velit poſt verba *Incarnatus eſt* ſedere, tunc ad verba *Deſcendit de cœlo* Celebrans cum miniſtris ad infimum altaris gradum deſcendunt, ibique ad verba *Incarnatus eſt* utraque flectunt genua, mox ſurgentes ordine quo ſupra per planum ad ſedendum procedunt.

LIII. Quum non dicitur *Credo*, ſubdiaconus defert burſam corporalium ſimul cum calice, remoto parvo velo, quod apud credentiam relinquit.

LIV. Omnibus ad altare poſt ſymbolum reverſis, & dicto a Celebrante *Ore-*

*mus*, diaconus accedit ad cornu epiſtolæ, facta prius in loco ſuo unde deſcendit genuflexione, ſubdiaconus facta pariter in ſuo loco genuflexione, vadit per planum ad credentiam, ubi poſt impoſitum ſibi a thuriferario velum humerale accipit calicem, cum purificatorio, patena, hoſtia, & palla, quem velo ſibi a collo pendente cooperiens, relicto apud credentiam velo parvo (quod a cæremoniario, vel acolytho deponitur ex parte ſuper credentiam, ita tamen, ut majori ex parte fluat anterius ante ipſam) ſiniſtra nuda, non cum velo humerali cooperta, tenens in nodo, dexteram velo ſuperponens, ne quid decidat, defert per breviorem, ideſt per laterales epiſtolæ gradus, ad cornu epiſtolæ comitatus ab acolytho, qui non præcedit, ſed ſequitur, ampullas vini, & aquæ ambabus manibus portans, pelviculam tenens uſque ad pectus elevatam, & abſque operculis.

LV. Diaconus removet partem longiorem veli pendentis ab humeris ſubdiaconi, qui idcirco removet manum ſuam dexteram calici ſuperpoſitam; tum diaconus de manu ſubdiaconi acceptum cali-

licem collocat ſuper altare, inde pallam amovet, ac prope corporale deponit; mox ad Celebrantem converſus patenam cum Hoſtia illi offert, ita ut manus ſua dextera ſit verſus ſuperiorem partem, ſiniſtra vero verſus inferiorem, & ita ut poſſit celebrans interponere manus ſuas; porrigit autem oſculando prius patenam, tum celebrantis manum. Solus Celebrans hoſtiam offert.

LVI. Subdiaconus interim ſiniſtra calicem per nodum accipiens, dextera purificatorium ſumit, digitiſque in calicem immiſſis, illum abſtergit purificatorio, quod deinde calicis nodo circumvolvit. Diaconus accipiens abſque oſculis a ſubdiacono calicem, & ſiniſtra manu nodum tenens, manu dextera recipit ampullam vini de manu ejusdem ſubdiaconi, qui eamdem ab acolythi manu ſuſcipit, utroque ſine oſculis nec ampullæ, nec manus præbente. Dum diaconus vinum infundit, ſubdiaconus aquæ urceolum in dextera per manubrium ab acolytho ſine oſculis acceptum parum elevans, ac benedicendum oſtendens Celebranti, verſus eum parum inclinatus dicit ſubmiſſa voce:

ce: *Benedicite Pater Reverende*, vel alio modo pro qualitate perſonæ: celebrans ſiniſtra pectori admota facto dextera verſus urceolum ſigno Crucis, dicit orationem, *Deus qui humanæ ſubſtantiæ*, quam junctis incipit manibus, at dum profert *Da nobis per hujus aquæ*, ſiniſtra ſuper altare poſita, dextera producit Crucis ſignum verſus aquam. Interim ſubdiaconus caute paucas aquæ guttulas infundit, ac poſtea acolytho reddit urceolum, ſicut & vini urceolum, quem a diacono recepit, ibique expectat. Si guttæ appareant intra calicem diſperſæ, diaconus illas purificatorio abſtergat, mox dextera calicis pedem, ſiniſtra nodum ipſius tenens, cum oſculis ejusdem pedis, ac dexteræ manus celebrantis, eidem calicem porrigit ſiniſtra pectori admota, dextera vel calicis pedem, vel dexterum celebrantis brachium ſuſtentat. Celebrans calicem per nodum dextera tenens, ſiniſtra per pedem elevans dicit cum diacono *Offerimus tibi Domine*, quia offerimus duobus ſaltem convenit. Poſtea facto Crucis ſigno cum calice deponit illum ſuper corporale, quem diaconus palla cooperit.

LVII. Tum

LVII. Tum diaconus ſumit de altare patenam, quam ponit in nuda manu dextera ſubdiaconi ſtantis in cornu epiſtolæ cum velo humerali; ſic autem ponit, ut pars interior ſubdiaconum reſpiciat; inde diaconus cooperit patenam extremitate veli humeralis, adjuvante cæremoniario. Subdiaconus nulla facta genuflexione deſcendens per laterales epiſtolæ gradus vadit per planum poſt Celebrantem ante medium altaris, & facta genuflexione ſuper medium infimi gradus, ſtat in eodem plani medio, nec umquam niſi ad elevationem genuflectit. Patenam autem ſuſtinet ante oculos elevatam uſque ad orationis dominicæ finem, ſiniſtra manu brachium ſuum dexterum ſuſtentans.

LVIII. In defunctorum miſſis, & in feria VI. Paraſceves patena non tenetur a ſubdiacono, quia ritus lætitiam continens, tunc minus convenit.

LIX. Dicto *Veni ſanctificator*, & oratione *In ſpiritu humilitatis* fit oblatorum incenſatio modo inferius notando.

LX. Abſoluta incenſatione Celebrans lavat manus, miniſtrantibus acolythis cum

cum quaſi oſculis ante, & poſt aquæ ampullam cum pelvicula, & manutergio, ſed ſtantes acolythi, non genuflexi miniſtrant, hinc facta celebranti profunda reverentia recedunt, & effuſa aqua reponunt ampullas, & manutergium plicatum ſuper credentiam, ſeque ad locum ſuum conferunt. Celebrans autem miſſam proſequitur.

LXI. Ad *Orate fratres* ſubdiaconus reſpondet *Suſcipiat Dominus;* In miſſis tamen defunctorum diaconus eſt qui reſpondet ſuſcipiat, quia non eſt impeditus; Celebrans vero moroſe dicit orationes ſecretas, ut diaconus valeat opportuno tempore regredi ad ſecum dicendum *Sanctus*. Cæremoniarius, niſi adſit aſſiſtens, interim libro aſſiſtit, & folia vertit in diaconi abſentia.

LXII. Quum dicitur præfatio, diaconus, & ſubdiaconus ſtant retro poſt Celebrantem, inclinant ſe, quum ipſe profert *Deo noſtro*, & paulo antequam dicatur *Sanctus*, facta ſuis in locis poſt celebrantem genuflexione, accedunt ad altare, ubi cum celebrante hinc inde dicunt *Sanctus*, diaconus junctis manibus, & incli-

clinatus, ſubdiaconus inclinatus quidem, ſed non junctis manibus utpote impeditis; celebrans pariter inclinatus, & manibus junctis, expectans tamen ad dicendum *Sanctus*, donec ad latera ſua miniſtri aſcendant. Ad verba *Benedictus qui venit*, erigunt ſe, ſeque ſignant, excepto ſubdiacono, qui volvens folia miſſalis ad initium canonis, facta ibidem genuflexione, redit ad medium plani poſt celebrantem, ibique ſtat. Verum nonnulli opinantur, quod ſubdiaconus, quum tenet patenam, non debeat ad *Sanctus*, aſcendere, ſed gratis id opinantur.

LXIII. *Benedictus qui venit*, a choro non canitur, niſi poſt calicis depoſitionem, etiam in miſſis defunctorum.

LXIV. Diaconus abſoluta cum Celebrante præfatione, genuflectens in dextero celebrantis latere accedit ad ſiniſtrum, iterum ibi genuflectens, non in medio, quod facit quotieſcumque ab uno celebrantis latere accedit ad aliud, itaut ſemper genuflectat in receſſu & acceſſu, numquam autem in medio. Nunc manus non tenet junctas, ſed erectus ſiniſtra manu librum ſuſtentat, dextera vertit folia; & in-

& indice oſtendit, quæ legenda ſunt a Celebrante. Si vero alius Sacerdos celebranti aſſiſtat, tunc diaconus remanet ad dexteram celebrantis aliquantulum poſt ipſum junctis manibus.

LXV. Ad finem præfationis accenduntur non minus quam duo, nec pluſquam octo intorticia, quæ poſt calicis elevationem extinguuntur, niſi aliqui ſint communicandi, tunc enim debent poſt communionem extingui, poſtquam communicatis omnibus Sacramentum in ciborio repoſitum fuerit. In diebus etiam jejuniorum, & in defunctorum miſſis tenentur uſque ad communionem utriuſque ſpeciei accenſa: in diebus quidem jejuniorum quaſi velit eo ritu Eccleſia excitare fideles ad actus pœnitentiæ, ac ferventioris contritionis, & perſeverantis orationis pro peccatorum ſuorum venia; in defunctorum autem miſſis ad continuanda pro animabus purgatorii ſuffragia. In vigilia tamen Nativitatis Domini, Paſchatis, & Pentecoſtes, quando alii non manent in choro genuflexi, eo quod iſtæ ſolemnis ſint officii vigiliæ, nec intorticia remanent accenſa, repoſito a Sacerdote

calice ſuper altare poſt ejusdem elevationem; ultra prædictas vigilias excipiuntur etiam feriæ quatuor temporum Pentecoſtes.

LXVI. Finita igitur præfatione, duo ſaltem, ſeu quatuor, aut ad ſummum octo clerici e ſacriſtia procedunt, intorticia, non autem candelabra, deferentes, bini, & bini, ita ut qui a dextris incedit, facem dextera manu præſeferens ad dextrum latus eam aliquantulum inclinet, ſiniſtra manu infra pectus poſita, qui vero a ſiniſtris progreditur, ad ſiniſtrum latus aliquantulum deflectat, dextera ad pectus admota. Hi quum pervenerint ante medium altaris expectant quoad uſque omnes advenerint, tunc rectam lineam formant, mediocri capitis inclinatione ſeſe ſalutant, nullo tamen modo terga altari vertentes, ad altare genuflectunt, manentque in linea recta poſt ſubdiaconum genuflexi cum æquali inter ſe diſtantia, dimiſſis in terram funalibus. Dum elevatur Hoſtia, elevant & ipſi intorticia, calce, ideſt extrema illorum parte, infra pectus admoto, ac tenent elevata uſque ad depoſi-

poſitionem calicis incluſive. Poſt calicis itaque depoſitionem faces demittunt, ſurgunt, utroque genuflectunt genu, ac prout venerant in ſacriſtiam redeunt, intorticia in ſacriſtia extinguentes. Mox ad loca ſua revertuntur cum debitis genuflexionibus utroque genu ob reverentiam erga Sanctiſſimum in altari exiſtens.

LXVII. Dum Celebrans dicit *Quam oblationem*, diaconus, facta prius a ſiniſtra celebrantis genuflexione, accedit ad dexteram illius in ſuperiori altaris gradu, aliquantulum poſt ipſum genuflectens utroque genu. Quum elevatur SS. Sacramentum ſiniſtra manu infimam poſteriorem planetæ fimbriam capit in medio, elevat aliquantulum, & ſine oſculis demittit ſtatim facta elevatione, antequam celebrans genuflectat, cujus dexterum ſuſtentat brachium, dum ſurgit, quod & in ſimilibus præſtandum eſt. Poſt Hoſtiæ depoſitæ adorationem, ſurgente Celebrante, ſurgit & diaconus, calicem detegit, pallam removendo, qua ſuper corporale depoſita, iterum in ſuppedaneo poſt celebrantem, ut ſupra, genuflectit, donec pretioſiſſimum ſanguinem celebrans ele-

elevaverit. Sic autem genuflexus, dum celebrans conſecrato ſanguine genuflectit, iterum planetam accipit, elevat, ac dimittit, ut antea, ſtatimque ſurgens palla calicem cooperit, & cum Sacerdote genuflectit, & ſurgit. Subdiaconus eo tempore, quo primum ad verba *Quam oblationem* genuflectit diaconus a dextris celebrantis, ipſe quoque ſuper infimum altaris gradum genuflectit in medio poſt celebrantem.

LXVIII. Repoſito calice, facta a dextris Celebrantis genuflexione, diaconus accedit ad ejus ſiniſtram, niſi alius aſſiſtat, ubi iterum genuflectit, ſurgit, aſſiſtit libro, conformatque ſe celebranti dum ſignat ſe, percutit pectus &c. ſubdiaconus etiam ſurgit, ſtatque in loco ſuo, numquam ſe ſignans, numquam cum celebrante genuflectens. Cæteri pariter ſurgunt, & ſuis in locis ſtant verſus altare.

LXIX. Hic autem notandum, quod chorus genuflectit initio canonis, ſurgit autem poſt calicis depoſitionem. In die tamen jejuniorum, ut ſupra dictum eſt,

ac

ac in defunctorum miſſis non ſurgit, niſi poſt verba *Pax Domini ſit ſemper*.

LXX. Secundo notandum, quod ſi adſint particulæ conſecrandæ pyſſidem diaconus diſcooperit, eamque apud Hoſtiam majorem collocat, qua elevata, ac depoſita a Celebrante, diaconus pyſſidem priori loco, v. g. retro poſt calicem, reſtituit, & cooperit. Inde calicem diſcooperit, & poſt elevationem cooperit, ſemper una cum celebrante genuflectens.

LXXI. Ad verba *Per quem hæc omnia* diaconus, facta genuflexione a ſiniſtris Celebrantis, ita opportune vadit ad ejus dexteram, ut poſtquam Celebrans ſignaverit calicem dicens *Sanctificans*, & poſtquam ipſe diaconus detexerit calicem, genuflectat una cum celebrante, alioquin genuflectere bis deberet. Interim cæremoniarius aſſiſtat libro uſque ad *Agnus Dei*. Quum Sacerdos calicem ter cum hoſtia ſignat, diaconus ſtans, duobus dexteræ manus digitis tenet calicis pedem, inde palla ipſum cooperit, dum Sacerdos hoſtiam ſuper corporale deponit, tandem cum celebrante genuflectit, ibique ma-

net

net junctis manibus erectus uſque ad *Pater noſter*.

LXXII. Ad orationem dominicam diaconus non deſcendit, niſi ad verba *Pater noſter;* tunc igitur, non prius, præmiſſa a dextris celebrantis genuflexione in ſuppedaneo, deſcendit ad ſecundum gradum in medio poſt celebrantem, nullam ibi genuflexionem faciens. Ad verba *Dimitte nobis debita noſtra*, facta iterum ubi ſtat genuflexione, redit ad celebrantis dexteram.

LXXIII. Circa dominicæ orationis finem ſubdiaconus, facta in medio infimi gradus genuflexione, per breviorem viam accedit ad cornu epiſtolæ, patenam ibi ſtans porrigit diacono, qui diſcooperit illam, removens eam veli partem, quæ eſt ſuper patenam, & purificatorio abſtergens Celebranti præbet quum dixerit *Amen* poſt Pater noſter, & incipit *Libera nos quæſumus Domine*, patenam prius, deinde celebrantis manum oſculando, & quando opus eſt, diſcooperit, & cooperit calicem, & cum celebrante genuflectit. Miniſtri non reſpondent *Sed libera nos a malo*, nec alia, ad quæ cho-

rus reſpondet celebrans non reſpondet *Amen*, niſi prius chorus compleverit: *Sed libera nos a malo*. Diaconus non tenet calicis pedem, quando Celebrans hoſtiam frangit. Diaconus bis adorat, primo quando calicem diſcooperit, ſecundo poſtquam cooperuerit, & ſurgens ſtat. Subdiaconus reddita patena, deponit ubi ſtat velum humerale, quod tradit acolytho, qui facta utroque genu Sanctiſſimo genuflexione, ambabus illud deferens manibus, ad credentiam reportat, in qua complicatum reponit.

LXXIV. Depoſito velo ſubdiaconus genuflectit adhuc ſtans ad dexteram diaconi, ſtatimque redit ad ſuum plani medium poſt Celebrantem, quum vero dicitur *Pax Domini*, iterum genuflectit ſuper infimum gradum in medio, ubi invenitur, mox accedit ad Sacerdotis ſiniſtram, ad quam ſtatim ac pervenerit, iterum genuflectit ad altare eodem tempore; quo poſt coopertum calicem tam celebrans, quam diaconus ſuis in locis genuflectunt.

LXXV. Celebrans, & miniſtri junctis manibus dicunt inclinati *Agnus Dei* percu-

cutientes ſibi pectus dextera, ſiniſtra infra pectus admota, præter Celebrantem, qui ſiniſtram ſuper corporale deponit. Cæremoniarius, ac reliqui profunde inclinati pectus ſibi percutiunt.

LXXVI. Dicto *Agnus Dei*, ſubdiaconus, facta Sacramento genuflexione, redit poſt Celebrantem in medio plani, ubi ſtat, uti prius, donec a diacono pacem receperit, iterum cæremoniario ad librum accedente. Diaconus autem a celebrantis dextris genuflexus utroque ſuper ſuppedaneum genu, ſic manet junctis manibus quaſi per totam primam orationem *Domine Jeſu Chriſte* pacem expectans. Circa finem prædictæ orationis, ut poſſit una cum Celebrante oſculari, erigit ſe, ac manibus ante pectus junctis, minime ſuper altare poſitis, oſculatur illud ſimul cum celebrante, extra tamen corporale, & a celebrante ſubmiſſa voce dicente *Pax tecum* complexus, genis invicem ſibi appropinquatis, hoc eſt ſiniſtra ſiniſtræ, accipit ad ejus dexteram pacem, eique ſubmiſsè reſpondet, *Et cum ſpiritu tuo*. Celebrans ad librum converſus reliquas proſequitur orationes.

LXXVII. Non debet Celebrans antequam diacono pacem offerat, Sacramento genufleɛtere, nec quando ad Sacramentum ſe convertit. Quum vero diacono dat pacem, ita illum ampleɛtitur, ut brachia bina ſuper illius humeros ponat, vel ſaltem manus ſuas ſuper humeros diaconi deponat. Si tamen vigeat alicubi conſuetudo, ut qui pacem dat, ſolam manum dexteram ſuper ſiniſtrum accipientis humerum ponat, ſiniſtram ſub axillis, retineatur. Porro diaconus ſupponit brachia ſua, brachiis celebrantis, eique ante, & poſt caput inclinat.

LXXVIII. Poſt acceptam pacem diaconus, Sacramento ibidem, ubi pacem recepit, unico genu adorato, vertit ſe per latus ſuum ſiniſtrum, ne terga vertat Sacramento, deſcenditque ad ſubdiaconum in medio plani ſtantem, atque adeo deſcendit & ipſe ad planum, ubi dat abſque inclinatione pacem ſubdiacono ſe inclinanti, dicens *Pax tecum*, cui ſubdiaconus reſpondet, *Et cum ſpiritu tuo*, tunc ambo mutuo ſe inclinant.

LXXIX. Hic autem plura nota. Primum, quod ex nonnullis ſubdiaconus pacem

cem a diacono accepturus aſcendit uſque ad ſuppedaneum quaſi medius celebrantem inter, & diaconum, ibique junctis ſtans manibus pacem a diacono expectat, qua accepta deſcendit in planum, & cætera præſtat, ut infra. Alterum quod pax ſtanti ſolum datur, non ſedenti, non genuflexo, itaut ſurgere renuentibus omnino deneganda ſit. Tertium qui dat pacem, nullatenus ſe inclinat ei, cui daturus eſt, quacumque ille præſulgeat dignitate, ſed tantum pro qualitate perſonæ inclinat ſe, poſt pacem datam; qui vero accipiunt pacem, debent ante, & poſt inclinare ſe, tunc enim ſe mutuo inclinant tam dans, quam accipiens inclinatione cuique proportionaliter debita. Item qui dat pacem, dicit *Pax tecum*, qui recipit pacem reſpondet, *Et cum ſpiritu tuo*. Si adſit presbyter aſſiſtens ipſe, non autem diaconus, accipit a Celebrante pacem, quam deinde aſſiſtens prius dat ſubdiacono, ut eam ad chorum deferat, poſtea vero diacono S. R. C. 17. *Junii* 1606.

LXXX. Subdiaconus accepta a diacono pace genuflectit ſuper infimum alta-

ris gradum, & quidem cum cæremoniario, vel alio comite a ſiniſtris, qui & ipſe genuflectit ſuper eumdem gradum, prout quando accedit ad medium pro cantanda epiſtola, & ſurgentes ita procedunt, ut comes aſtet a ſiniſtris ſubdiaconi, non autem illum præcedat. Ingredientes chorum ſalutant omnes ex utraque parte. Tunc accedit ad digniorem in digniori chori parte ſtantem, eique pacem defert. In unoquoque ordine primus pacem dat alteri ſubſequenti, & ſic deinceps uſque ad ultimum ejusdem ordinis. Omnes ad accipiendam pacem aperto capite, & manibus junctis accedunt. Dum tranſit ſubdiaconus ex una chori parte ad alteram pro danda primo cujuſcumque ordinis pace, genuflectit in medio verſus altare unico genu; tranſiens per chorum in acceſſu, ac receſſu, chorum hinc inde ſalutat, tranſiens vero ante aliquem Prælatum etiam capitis inclinatione illum ſalutat.

LXXXI. Laicis pax datur per inſtrumentum, ſeu tabellam ſacram oſculatam ab eo, qui pacem a Celebrante immediate accepit; numquam vero datur a

dia-

diacono, neque ipſi domino loci S.R.C. 5. *Julii* 1614. nec umquam datur cum patena vice tabellæ, ex S. Pio V. in epiſtola ad Archiepiſcopum Tarraconenſem.

LXXXII. Pacis igitur inſtrumentum non Celebranti, ſed diacono offertur oſculandum. Porro cæremoniarius illud ſecum defert manu dextera a ſiniſtra ſuſtentata, ut tempore ſuo tradat ſubdiacono, ſcilicet quando eſt illud daturus oſculandum.

LXXXIII. Subdiaconus itaque accepto pacis inſtrumento reverentiæ cauſa illud quaſi oſculaturus decenter ad os ſuum retrahit, & tunc primum oſculandum præbet, inclinatque ſe tantum poſt oſculum. Si pluribus viris inſignibus exhibeatur poſt quodlibet oſculum extergit velo paramentorum coloribus congruenti, quod ejus manubrio appenditur. Ii, qui accipiunt pacem per Inſtrumentum, ſtare non debent, ſed manent genuflexi. Verum proſequamur reliqua.

LXXXIV. Reverſus e choro ad altare ſubdiaconus, facta ſimul cum comite ſuper infimum gradum in medio altaris genuflexione, ſtans dat pacem cæremo-

niario, vel alii, qui eum fuerat comitatus, iſte vero facta in medio genuflexione dat aliis circa altare acolythis tunc ſurgentibus pacem.

LXXXV. Poſt datam comiti ſuo pacem ſtatim ſubdiaconus, facta ſuper medium infimi gradus genuflexione, ſurgit, vadit ad dexteram celebrantis, ubi iterum genuflectit, ſi forte celebrans tunc genuflectat, alioquin non, & quando opus eſt, calicem diſcooperit, deponens pallam ſuper corporale de more, & cum eo genuflectit. Poſt ſacratiſſimi Sanguinis ſumptionem accipit de manu acolythi urceolum vini, & infundit in calicem ſuper altare, non extra porrectum, non autem altare tangentem pro purificatione. Mox pro ablutione pariter ſuper altare in cornu epiſtolæ infundit vinum manu dextera, ac reddita acolytho vini ampulla, eadem manu dextera accipiens ampullam aquæ, infundit aquam ſuper pollices, & indices celebrantis, ſicut infuderat & vinum, numquam omittens ampullarum oſculationes, ac in iis miniſtrandis reverentias.

LXXXVI. Ampullæ cum pelvicula,

de-

deferuntur ad altare cum inclinatione, ſed abſque genuflexione ab acolytho, qui ſine oſculis eas ſubdiacono porrigit, ac deinde ſine genuflexione, ſed cum ſolita inclinatione refert ad credentiam. Interim alter acolythus e credentia defert ad altare in cornu evangelii parvum velum.

LXXXVII. Diaconus poſt datam ſubdiacono pacem vadit ad librum, faciens ibi in ſuppedaneo ſtatim in acceſſu, & receſſu genuflexionem, & dum celebrans ſe communicat, ſtant ipſe, & ſubdiaconus a verbis *Domine non ſum dignus* uſque ad ſumptum SS. Corpus junctis ante pectus manibus, ac profunde verſus altare inclinati, erigentes ſe, dum celebrans in SS. Sacramenti meditatione quieſcit.

LXXXVIII. Quum Celebrans dicit *Domine non ſum dignus*, miniſtri illud idem dicunt ſubmiſſa voce, ſibique pectus cum celebrante percutiunt. Aliqui tamen negant hic in miniſtris hujuſmodi pectoris percuſſionem.

LXXXIX. Clerici aſtantes non genu-

fle-

flectunt ad communionem, ſed ſolum ſtant ſuis in locis profunde inclinati.

LXXXX. Dum Sacerdos incipit *Quid retribuam*, ſubdiaconus diſcooperit calicem, & cum Celebrante, & diacono genuflectit, ac ſurgit, & quum celebrans ſacratiſſimum Sanguinem ſumit, miniſtri iterum ſe profunde inclinant, & poſtmodum ſe erigunt.

LXXXXI. Poſtquam Celebrans ſumpſit SS. Sanguinem, non autem prius, in choro cantatur poſtcommunio; quum enim poſtcommunio cantetur in ſignum gratiarum actionis, ac lætitiæ ob communionem ſuſceptam, non debet niſi immediate poſt SS. Sanguinis ſumptionem cantari.

LXXXXII. Facta a Celebrante digitorum ablutione, diaconus ambulans per ſecundum gradum, & faciens in medio genuflexionem, defert ambabus manibus librum clauſum, quo in cornu epiſtolæ locato, & aperto, demonſtrat indice Sacerdoti poſtcommunio, ſtatimque retrahit ſe poſt celebrantem in ſecundo gradu, tunc cum celebrante ad medium altaris per eumdem ſecundum gradum procedit,

dit, ubi ſtans verſus celebrantem, dum ipſe converſus ad populum dicit *Dominus vobiſcum*, facta ibidem genuflexione, redit per eumdem gradum ad cornu epiſtolæ, ibi poſt celebrantem conſiſtens uſque ad finem orationum junctis manibus.

LXXXXIII. In quadrageſima diaconus nulla facta in cornu epiſtolæ, ubi invenitur, genuflexione vertit ſe ad populum, dicens manibus junctis *Humiliate capita veſtra Deo*, ſtatimque vertit iterum ſe ad altare abſque genuflexione, ibique ſtat a tergo Celebrantis inclinatus ad orationem, junctis manibus, quod facit etiam ſubdiaconus. Miniſtri vero inferiores, & chorus ad dictam orationem manent adhuc genuflexi, manibus junctis, & capite inclinato.

LXXXXIV. Cæremoniarius aſſiſtit Celebranti ad orationes, quibus completis, ipſe cæremoniarius librum claudit, niſi ſit aliud Evangelium legendum, quam S. Joannis.

LXXXXV. Subdiaconus poſt redditas acolytho ampullas accedit ad cornu evangelii per planum, vel per infimum gradum,

dum, ſi ſint plures: genuflectit in medio retro poſt diaconum eodem tempore, quo hic deferens miſſale genuflectit. Calicem in cornu evangelii ſubdiaconus purificatorio purgat, palla, & patena cooperit, plicat corporale, quod ſtatim reponit in burſam, extendit parvum velum, quod antea fuerat e credentia in cornu evangelii ab acolytho portatum, ſuper velum burſam imponit, & ſuper burſam revolvit anteriorem veli partem, ſtatimque per viam breviorem, adeoque per anteriores gradus, facta in medio ſuper infimum altaris gradum genuflexione, tenens ſiniſtra calicem, dextera ſuper burſam poſita, ne quid forte decidat, ſolus abſque comite reponit illum ſuper credentiam, & anteriorem veli partem, quæ erat ſuper burſam revoluta, explicat itaut credentiam non tangat, ſed apte ſuper illam cadat. Poſt hæc per breviorem redit ad locum ſuum in cornu epiſtolæ retro poſt diaconum in plano ſine genuflexione.

LXXXXVI. Poſt ultimæ orationis concluſionem diaconus confert ſe ad medium altaris in ſuo gradu ſimul cum Ce-

le-

lebrante, ibi eo tempore, quo Sacerdos oſculatur altare dicturus *Dominus vobiſcum*, ipſe, præmiſſa verſus altare genuflexione, vertit ſe per latus ſuum dexterum, ideſt per eam partem, quæ cornu epiſtolæ reſpicit, eodemque modo, quo ſe vertit Celebrans dicturus *Dominus vobiſcum*, verſa ad populum facie, renibus vero altari, ſtans quaſi medius inter celebrantem, & cornu epiſtolæ, tono competenti cantat junctis ante pectus manibus *Ite miſſa eſt*, quod non debet ſubmiſſa voce Sacerdos dicere. Subdiaconus non vertit ſe ad populum, ſed ſtat in loco ſuo manibus junctis facie ſua ad celebrantis faciem verſa. Hinc diaconus eodem modo, quo celebrans, vertit ſe ad altare per latus epiſtolæ una cum eo, locans ſe poſt ipſum in loco ſuo.

LXXXXVII. Si dicendum ſit *Benedicamus Domino*, Diaconus non vertit ſe ad populum neque genuflectit. Licet Celebrans non dicat *Ite miſsa eſt* ſubmiſſa voce, nec *Humiliate capita veſtra Deo*, dicit tamen ſubmiſſa voce *Benedicamus Domino*, *& requieſcant in pace*, quia in illo celebrans non alios tantum, ſed etiam ſeipſum

ſum hortatur ad benedicendum Deo, in hoc vero orat pro mortuis, adeoque utrumque dicit.

LXXXXVIII. Celebrans poſtquam chorus reſpondit *Deo gratias*, non autem prius, dicit more ſolito *Placeat tibi Sancta Trinitas*, deinde eadem voce, & modo, quo in privatis miſſis, benedicit populo.

LXXXXIX. Ad benedictionem omnes genuflectunt; miniſtri æqualiter inter ſe diſtantes ſuper gradum ſecundum, diaconus a dextris Celebrantis paululum verſus cornu epiſtolæ, ſubdiaconus a ſiniſtris diaconi aliquantulum verſus cornu evangelii; cæremoniarius in cornu epiſtolæ, reliqui in plano ſuis in locis, omneſque profunde ſe inclinant, ſignantque ſe, ſiniſtra pectori admota.

C. Quum datur benedictio nil canitur in choro.

CI. Si peculiare legendum ſit Evangelium, dum Celebrans inclinatus dicit *Placeat tibi S. Trinitas*, ſubdiaconus genuflectit, ubi eſt, accedit ad librum, eumque deferens modo ſuperius dicto poſt epiſtolam, genuflectit iterum in ſecundo

gra-

gradu a ſiniſtris diaconi, ut ibi benedictionem recipiat ad quam non ſignat ſe, cum ſit impeditus; poſtea deponit in cornu evangelii librum more ſolito ſuper altare.

CII. Si Celebrans legat Evangelium S. Joannis, ſubdiaconus poſt benedictionem opportune accedit ad cornu evangelii, ibique ſtans in ſecundo gradu, vel alio commodiori loco ad celebrantis ſiniſtram ſuſtinet ante ipſum tabellam illius, aut, ſi aliud legatur Evangelium, tenet miſſale, conformans ſe celebranti in formando Crucis ſigno in fronte, ore, ac pectore, & reſpondens tam in principio, quam in fine Evangelii. Diaconus ſtat in ſecundo gradu medius inter Celebrantem, & ſubdiaconum aliquantulum poſt ipſum celebrantem. Quum dicitur *Verbum caro*, vel quid ſimile, celebrans, & diaconus genuflectunt unico genu verſus librum, ſubdiacono ſtante, quia librum, ſeu tabellam tenet, alioquin & ipſe cum aliis genuflectit. Diaconus autem, ſi lectum ſit peculiare Evangelium, claudit miſſale.

CIII. Ultimo Evangelio completo, Ce-

Celebrans redit cum miniſtris ad medium altaris, ubi medius inter eos, Diaconum a dextris, ſubdiaconum a ſiniſtris, quaſi paribus, inclinat ſe Cruci, miniſtris pariter ſe inclinantibus. Deinde tum ipſe, tum ſubdiaconus faciem vertentes ad cornu epiſtolæ, diaconus a cornu evangelii deſcendunt in planum ante infimum altaris gradum, omnibus genuflectentibus præter celebrantem, niſi adſit SS. Sacramentum, miniſtris ſuper infimum gradum, reliquis eodem inſtanti in plano. Tunc a cæremoniario diaconus acceptum celebrantis biretum exhibet illi cum quaſi oſculo. Celebrans ſtatim ſe cooperit, & miniſtri ſuum aſſumentes, ipſi pariter caput ſibi cooperiunt. Interim præeuntibus acolythis cum candelabris accenſis, & poſt eos cæremoniario, omnes abſque ulla reverentia eo ordine, quo jam proceſſerant ad altare, junctis manibus in ſacriſtiam revertuntur.

CIV. In ſacriſtia inclinant ſe profunde Imagini principali ſimul omnes, ac deinde minus profunde celebranti, qui parva correſpondet capitis inclinatione; miniſtri loco ad id parato prius depoſito mani-

nipulo exuunt cum cæremoniarii aſſiſtentia Celebrantem, acolythi ſpoliant miniſtros. Omnes poſtquam oraverint paululum, diſcedunt in pace.

CV. De ſolemni defunctorum miſſa nihil hìc, quum de ipſa ſatis ſuperque ac meridiana luce clarius a miſſali Romano pertractetur, rituſque in ea ſervandus quaſi digito demonſtretur. Sed & nos aliquid attigimus in noſtra *Solicitud. Paſtoral. part.* 4. *ſect.* 2. *§.* 13. *n.* 20. nonnulla tamen advertenda ſuperſunt.

CVI. Primum, quod amictus, manipulus, ſtola, oſculanda ſunt etiam in defunctorum miſſis. Alterum quod dicenda eſt miſſa Conventualis pro defunctis feria ſecunda poſt dominicam Paſſionis, quando recitatum eſt officium defunctorum, etiamſi in aliis ſecundis feriis quadrageſimæ non dicatur. Ratio eſt, quia in aliis ſecundis feriis recitatur oratio *Omnipotens ſempiterne* pro vivis, ac defunctis communis, quæ non dicitur poſt dominicam Paſſionis, unde ut miſſa concordet cum officio videtur, ut dici debeat miſſa pro defunctis; nam miſſa Conventualis eſt pars officii divini, ac pro-

inde obligat ad qualitatem miſſæ in Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis, quæ ſunt ad perfectum ritus eccleſiaſtici cultum inſtitutæ, ex quo gravis conſequitur obligatio. Pax in miſſa pro defunctis non datur, quia piorum animæ jam non ſunt, nec erunt ulterius in hujus perturbatione mundi. Hinc eſt quod etiam inter monachos pax olim non dabatur, quia mundo mortui reputantur.

CVII. De abſolutione defunctorum infra dicetur.

## §. III.

*Ritus in miſſa minus ſolemni abſque miniſtris.*

I. IN aliqua menſa, vel parva credentia in epiſtolæ cornu poſita, linteo ſaltem mundo cooperta collocentur liber pro epiſtola cantanda, pelvicula cum ampullis, manutergio, & campanula, ac inſtrumentum pacis, quæ dari pro libito poteſt a Celebrante, verum ſi inſtrumentum non habeatur, nec pax danda eſt, dum ſacri abſunt miniſtri.

II. In

II. In altari ſaltem quatuor accendatur candelæ; in medio ſtatuatur calix ſuper corporale explicatum, ut in miſſa privata; in cornu epiſtolæ ſuper cuſſinum miſſale collocetur apertum.

III. In ſacriſtia acolythi miniſtrant de more paramenta Celebranti.

IV. Ordo procedendi ad altare ſit hujuſmodi. Præcedit thuriferarius vacuus, ſequuntur ceroferarii cum candelabris accenſis, omnes aperto capite; poſtremus incedit Celebrans junctis ante pectus manibus, ac tecto capite.

V. Ad altare Celebrans dat biretum thuriferario, qui ſuper celebrantis ſedem, vel alio commodiori in loco illud deponit. Celebrans depoſito bireto debitam facit altari reverentiam, ceroferariis candelabra loco ſuo deponentibus, ac ſtatim facit confeſſionem cum acolytho, qui ideo ad ipſius ſiniſtram, ut in miſſa privata genuflectit.

VI. In confeſſione, ſicuti in aliis, quæ in miſſa privata dicuntur clara voce, utitur Celebrans voce ſubmiſſa, ſed tali, ut commode ab acolytho audiatur: ad verba *Vos Fratres*, *vobis Fratres*, & ad *mi-*

*ſcreatur veſtri*, caput minime vertit ad acolytum. Alta ſolum voce cantat initium hymni *Gloria in excelſis*, initium ſymboli, ſi dicendum ſit orationem, vel orationes, Dominus vobiſcum, Evangelium, præfationem, orationem dominicam, per omnia ſecula ſeculorum, pax Domini; ite miſſa eſt, benedicamus.

VII. Aſcendenti Sacerdoti acolythus anteriores elevat veſtes. An Sacerdos poſsit hic ante introitum incenſare, negant quamplurimi, ea ducti ratione, quia id ſolemnis miſſæ ſaperet ſolemnitatem. Quidquid alibi ſervandum ſit, equidem puto id ruri permittendum; quum enim ruri, ut plurimum, pauci reperiantur Sacerdotes, ſatis ſolemnis hujuſmodi miſſa reputatur, & quum ſit miſſa cum cantu facienda eſt thurificatio. Thuriferarius igitur ad ſuppedaneum aſcendit altaris, miniſtrante cum oſculis naviculam acolytho, Celebrans adhuc in medio ſtans imponit, ac benedicit de more incenſum. Thuriferarius offert cum oſculis thuribulum clauſum Sacerdoti, qui altare incenſat, & omnia de more fiunt, ut aliàs.

VIII. Ce-

VIII. Celebrans a thuriferario cum ſolitis reverentiis ante, & poſt incenſatus incipit introitum, cui in cornu epiſtolæ aſtat a dextris, ſed aliquantulum poſt ipſum acolythus junctis ante pectus manibus, ſeque cum celebrante ſignat, eique reſpondet ad *Kyrie eleiſon*, quæ in cornu epiſtolæ dicuntur.

IX. Intonato hymno *Gloria in excelſis*, eoque privatim ad altare abſoluto, facta debita Cruci reverentia, vel Sanctiſſimo genuflexione, deſcendens per breviorem ſedet, & tunc caput tegit, accepto apud ſedem ab acolytho bireto. Cætera ſervat de more. Ad hymni finem, depoſito bireto in manu acolythi illud in ſede collocantis, revertitur per planum ad altare, ut aliàs. Hæc ipſa præſtat ad ſymbolum.

X. Circa finem orationum, vel orationis, lector accipit de credentia epiſtolarum librum modo dicto §. ſuperiori, & cantat epiſtolam cum præſcriptis genuflexionibus, ac reliquis aliàs notatis. Finita epiſtola iterum genuflectit ad medium altaris ſuper infimum gradum, ac directe fert ad credentiam librum, non

enim recipit a Celebrante benedictionem, nec illius manum oſculatur.

XI. Interim dum ſubmiſſa voce celebrans epiſtolam legit, ei aſſiſtit acolythus, qui reſpondet in fine *Deo gratias*, & finito graduali &c. defert miſſale clauſum cum cuſſino ad cornu evangelii, ubi illud apertum collocat, ea ſervans, quæ in ſimili caſu peragit in miſſa ſolemni ſubdiaconus.

XII. Dum chorus cantat graduale, thuriferarius cum thuribulo, facta debita genuflexione, accedit ad ſuppedaneum altaris, ubi acolytho miniſtrante naviculam cum ſolitis oſculis, Celebrans imponit, ac benedicit incenſum more ſolito, & dum Sacerdos dicit ſecreto *Munda cor meum*, ceroferarii acceptis candelabris accenſis ita tempeſtive progrediuntur ad medium altaris, ut obvium habeant thuriferarium deſcendentem, quem medium excipientes genuflectunt cum ipſo in medio plano cappellæ. Porro celebrans accedit per ſuppedaneum ad cornu evangelii, ſicut & thuriferarius præcedens, & ceroferarii ſequentes accedunt ad idem cornu per planum, ubi conſiſtunt me-

medium habentes thuriferarium, facie ad celebrantem converſa, quaſi librum in medio ſui retinentes.

XIII. Acolythus, reddita thuriferario navicula, poterit ſe conferre ad librum, eique aſſiſtere, dum ex illo Celebrans canit Evangelium.

XIV. Cantato igitur *Dominus vobiſcum* Celebrans more ſolito ſignat librum, & ſe ipſum, tum recipiens thuribulum incenſat librum, ut aliàs. Acolythus poſt Evangelium reſpondet *Laus tibi Chriſte*. Celebrans oſculatur librum, eodemque in loco ſtans incenſatur a thuriferario; poſtmodum ſibi ipſi librum appropinquans, tranſit ad medium altaris, cantat *Credo*, ad quod ſedet, ſi dicendum ſit, alioquin *Dominus vobiſcum*.

XV. Si forte ad ſymbolum Celebrans non ſedeat, acolythus ſtans a cornu epiſtolæ, genuflexus adaptat poſteriorem planetæ partem ſuper celebrantis pedes, tum ad verba *Et incarnatus eſt &c.* genúflectit.

XVI. Poſt offertorium imponitur thus ac incenſantur oblata, & altare de more. Ad incenſationem thuriferarius a dextris,

acolythus a ſiniſtris planetam elevant, primo ceroferario removente, ac reponente cuſſinum cum miſſali. Poſt hæc Sacerdos incenſatur a thuriferario, qui deinde incenſat acolythum, ceroferarios, ac populum, more ſolito, ipſe vero ab acolytho incenſatur.

XVII. Dum Sacerdos manus lavat, ſecundus ceroferarius aquam, primus manutergium miniſtrat.

XVIII. Ad præfationis finem deferuntur intorticia pro elevatione, præcedente thuriferario cum thuribulo, qui omnes faciunt, ac recedunt, ut dictum eſt ſupra.

XIX. Quum danda eſt pax, acolythus poteſt illam cum inſtrumento deferre.

XX. Poſt purificationem Celebrans adaptat calicem, ut in miſſa privata, ſeu potius ab aliquo Sacerdote abſtergitur, aptatur, & ab altari removetur.

XXI. Ad benedictionem clerici omnes genuflectunt, & ſi legendum ſit peculiare Evangelium, acolythus cum debitis genuflexionibus defert ad cornu evangelii miſſale, ubi collocat apertum, & in

fine

fine reſpondet *Deo gratias*, ac librum claudit.

XXII. Omnibus expletis Celebrans, & clerici quo venerant ordine, ac modo recedunt.

TI-

# TITULUS NONUS

## INCENSANDI RITUS.

### §. I.

*Notabilia.*

I. INcenſatio fit ad repreſentandam gloriam Dei, qui in nebula, apparebat, & ad exprimendum bonum Chriſti Domini odorem, & orationem ad Deum dirigendam, unde illud: *Dirigatur oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo*. Fit etiam ad loci reverentiam, ut malus populi concurrentis odor inde pellatur; immo ex *Innoc. III. lib.* 2. *cap.* 17. ad ipſos dæmones expellendos.

II. Incenſatio, ſicut & genuflexio, omniſque externa adoratio ſecundum ſe eſt adiaphora, & poteſt tam creaturis, quam Deo exhiberi; quapropter a ſola mentis intentione pendet illius determinatio.

III. Thus in thuribulo collocandum po-

poteſt cum alia immiſceri materia, ita tamen ſemper, ut major quantitas ſit ex thure.

IV. Nullus neque Legatus, neque Cardinalis, neque Epiſcopus, qui ſacris non ſint induti veſtibus, incenſantur in miſſa, niſi tantum ſemel, ſcilicet poſt oblata triplici ductu poſt Celebrantem, qui tunc duplici tantum ductu eſt tam ad introitum, quam ad Evangelium, & poſt oblata incenſandus.

V. Thuribulum ſignificat Corpus Dominicum, thus illius divinitatem, ignis vero Spiritum Sanctum. Navicula deſignat, ut per orationem, quam incenſum ſignificat, de hujus mundi mari magno, & ſpatioſo ſatagamus ad cœleſtem patriam navigare; unde *Provv.* 31. 14. *facta eſt quaſi navis inſtitoris de longe portans panem ſuum.*

## §. II.

### *Incenſatio ad Introitum.*

I. CElebrans oſculato altari, ſtans in ejus medio, verſa aliquantulum ad cornu epiſtolæ facie, ſiniſtra pectori ad-

admota, dextera immittit incenſum in thuribulum, ſubdiacono ſtante quaſi a ſiniſtris Celebrantis, facie ſic aliquantulum ad altare converſa, ut potius populum reſpiciat. Diaconus deſcendit ad ſecundum gradum in medio; a dextris quaſi diaconi, ſed aliquantulum poſt eum, ſtat navicularius, ita ut ferme reſpiciat altare; thuriferarius ſtat in ſuppedaneo, & inclinatus ſuſtentat anulum majorem ſiniſtra manu, & elevat alterum anulum operculi manu dextera, eadem dextera complectens catenulas, prope earumdem medium inter operculum, & thuribulum, quod ſuſtentat æqualiter elevatum uſque ad altitudinem naviculæ, ne celebrans cogatur ſe inclinare.

II. Diaconus igitur manu dextera accipit a naviculario ſine oſculis naviculam ſemiapertam, quam ſiniſtra manu tenet, ſtans ad dextris Celebrantis verſa erga illum aperta naviculæ parte, tum dextera cochleare vacuum accipit in parte inferiori manubrii, quod celebranti porrigit cum oſculo ſuperioris partis manubrii, & manus dexteræ Sacerdotis in parte exteriori, manus enim eſt oſculanda,

da, non digiti, quod diligenter notandum; dum autem porrigit cochleare, inclinat ſe aliquantulum verſus celebrantem dicens: *Benedicite Pater Reverende*.

III. Celebrans ſiniſtra pectori admota, dextera manu accipit cochleare, quo ſic utitur. Ter de navicula ſumit incenſum, terque in thuribulo diſtinctis in locis, ideſt in medio, a dextris, & a ſiniſtris thuribuli, immittit dicens ſubmiſſa voce *Ab illo benedicaris*, quæ verba ſequenti ordine proferenda ſunt, nempe quando prima vice Sacerdos incenſum mittit in thuribulum dicat *Ab illo benedicaris*; ſecunda vice dicat, *In cujus honore*; tertia vice *Cremaberis amen*. Statim reddit diacono cochleare, deinde manu dextera benedicit, thuribulo adhuc aperto, incenſum; quare thuriferarius non claudat thuribulum, donec ſit benedictum incenſum.

IV. Diaconus recipiens a Celebrante cochleare oſculatur illius dexteram, ac deinde inferiorem partem manubrii cochlearis, quod in navicula reponit, eamque clauſam reddit dextera, non ſiniſtra naviculario.

V. Thu-

V. Thuriferarius poſt incenſi benedictionem, non autem prius, demittit operculum thuribuli, quod ſine oſculis tradit clauſum diacono, qui ſic illud accipit. Dextera manu tenet catenulas verſus anulum, ſiniſtra vero catenulas prope partem operculo thuribuli proximam, mox celebranti thuribulum præbet, oſculatis in ſuperiori parte prope anulum catenulis, quas in ſiniſtra celebrantis collocat, partem vero catenularum inferiorem prope thuribulum collocat in celebrantis dextera, quam etiam in exteriori parte oſculatur. Celebrans autem ita thuribulum tenet, ut ſiniſtram manum, qua partem catenularum prope anulum tenet, pectori in tota incenſatione immobilem admoveat, dexteram vero, qua partem earumdem catenularum prope thuribulum tenet, ſic habeat, ut nullus indecens actus occurrat, ſed in tota incenſatione poſſit commode, & cum gravitate thuribulum ducere, ac reducere.

VI. Celebrans accepto a diacono thuribulo medius inter ſacros miniſtros ad altare ſe vertit, profundam faciens Cruci reverentiam, etiamſi veræ Crucis parti-

ticula in ea adeſſet; ſi vero adſit in tabernaculo SS. Sacramentum, genufle&ctilde;it unico genu, manuum extremitatibus ſuper altare poſitis, ut facilius ſurgat, quum autem genufle&ctilde;it ob Sanctiſſimi præſentiam, tunc Cruci quam incenſat, minime caput inclinat; quotieſcumque vero tranſit ante medium altaris, inclinat profunde Cruci, vel Sanctiſſimo genuflectit. Facta igitur debita reverentia, ter æquali ductu Crucem, nihil hic dicens, incenſat, poſt unamquamque incenſationem tantiſper quieſcendo, itaut diſtingui poſſit, eas incenſationes eſſe tres, quibus finitis, iterum Cruci profunde inclinat, ſive Sacramento, ut ſupra, genuflectit, miniſtris ſemper genuflectentibus, quum recedant a Cruce.

VII. Ubi nota, quod quando incenſatur SS. Crux, vel aliud inſtrumentum paſſionis Chriſti Domini, non debet flexis genibus incenſari, & ſi coram ipſis divina recitentur officia, tecto ſedendum eſt capite; cultus enim incenſandi flexis genibus, ac ſedendi aperto capite Sanctiſſimo tantummodo competit Sacramento. In triduo tamen paſſionis omnes

etiam

etiam Canonici, uno excepto celebrante, genufleƈtunt ante Crucem tranſeuntes, quod ſervatur etiam ab Eminentiſs. DD. Cardinalibus in Sacello Pontificis, ex Caſtaldo S. R. C. decretum referente: immo in fer. VI. Paraſceves ipſe quoque Celebrans, etiam Epiſcopus, debet in honorem Crucifixi Domini noſtri Cruci genufleƈtere.

VIII. Incenſata Cruce, & faƈta illi debita reverentia, ſi adſint in altari Sanƈtorum Reliquiæ, ſtatim Celebrans, antequam a medio diſcedat, illas incenſat abſque reverentia nec ante, nec poſt, incipiendo a proximioribus Cruci, ſeu tabernaculo; incenſat autem bis tantum, etiamſi plures eſſent, aut pauciores bino ſimplici duƈtu, minime duplicato, ideſt ſemel verſus reliquias Cruci, ſeu tabernaculo proximiores, ac deinde ſemel iterum verſus cæteras, primo quidem ab evangelii parte, poſtea faƈta iterum Cruci profunda reverentia, miniſtris pariter Cruci caput inclinantibus, adhuc in medio ſtans, aliquantulum tamen ad cornu epiſtolæ converſus, bis ſimiliter incenſat abſque ulla capitis inclinatione, ad differen-

rentiam Crucis, Reliquias ibidem poſitas. Quo facto ſtatim ſine mora nullam faciens nec ipſi Cruci reverentiam, proſequitur altaris incenſationem.

IX. Meræ Sanctorum Imagines abſque Reliquiis ſuper altare, ſive inter candelabra, poſitæ non ſunt incenſandæ.

X. Si una tantum adſit Reliquia, nequaquam erit ſuper tabernaculum collocanda, ob debitam Sanctiſſimo reverentiam, ſiquidem indecens omnino eſt, thronum ſummi Regis fieri ſcabellum famulorum. Obſtant præterea ſynodales noſtræ Conſtitutiones in *tit. de Sacram. Euchariſtiæ* §. 11. = ibi = *ſuper eodem* (ſcilicet tabernaculo) *nec imagines*, *nec Reliquiæ Sanctorum retineantur*: quare eo caſu reliquia collocanda erit ſuper altare a cornu epiſtolæ elevata ſuper decentem tripedem, vel aliud ſimile fulcimentum. Alia eſt ratio, quando non adeſt SS. Sacramenti tabernaculum.

XI. In principio miſſæ nihil in tota incenſatione dicitur. Celebrans itaque incipiens a latere epiſtolæ, verſa ad illud facie, ter æquali ductu thuribulum ducit, prout diſtinguntur candelabra, hoc

S eſt

eſt incipiens a parte Cruci proximiori, recta linea ter incenſat uſque ad terminum ipſius cornu epiſtolæ, totque facit paſſus, quot thuribuli tractus, quod ſemper erit faciendum juxta incenſationis motus. Tres autem incenſationes iſtæ faciendæ ſunt, etiamſi tria non adſint candelabra, ſed vel pauciora, vel plura; non enim incenſantur candelabra, ſed pars altaris illis poſterior.

XII. Quum Celebrans ad cornu epiſtolæ pervenerit, ac tertiam, ut ſupra, incenſationem fecerit, aliquantulum inclinat manum, qua demiſſa inferiorem partem lateralem altaris ſemel incenſat, mox ſuperiorem item lateralem ſemel, utramque tamen diſtincte. Poſtea converſus ad altare vertens faciem quaſi ad ipſius medium, ter incenſat altaris planitiem circa oram, ideſt circa extremitatem menſæ, quas trinas incenſationes facit quaſi in ſemicirculo, incipiens a cornu epiſtolæ uſque ad altaris medium procedendo, tot faciens gradus, quot incenſationes. Græci in incenſando ſemper formant cum thuribulo crucem. Item ſi ad-

adſit diaconus, ipſe, non vero Sacerdos incenſat altare apud Græcos.

XIII. Exiſtens in altaris medio Celebrans, ibi profundam Cruci facit reverentiam, ſive tantum SS. Sacramento genuflexionem, miniſtris ſemper genuflectentibus; inde alteram poſteriorem altaris partem verſus evangelii cornu incenſat, thuribulum ter ducens, prout diſtribuuntur candelabra, incipiens a parte Cruci, ſeu tabernaculo proximiori, ſtans autem in cornu evangelii manum verſus inferiorem partem altaris lateralem ejusdem cornu demittit, eamque partem ſemel incenſat; poſtea vero iterum ſemel, ac diſtincte incenſat ſuperiorem ejusdem cornu evangelii partem lateralem. Deinde ſtans adhuc in prædicto cornu, non ultra progrediens, niſi tanta eſſet altaris longitudo, ut aliquantulum procedere verſus medium neceſſe foret, incenſat altaris planitiem circa oram in eodem evangelii cornu, thuribulum ter ducens quaſi in ſemicirculum a cornu evangelii verſus altaris medium, ſed cum hoc diſcrimine; quando in parte epiſtolæ ducit thuribulum a ſua dextera

ad ſiniſtram, in cornu evangelii a ſiniſtra ad dexteram.

XIV. Incenſata altaris planitie cornu evangelii, Celebrans aliquantulum manum demittit, ac anteriorem altaris partem, ideſt frontem illius incenſat, incipiens a termino cornu evangelii, ter ducens thuribulum, procedendo ad medium altaris, tot gradus, quot thuribuli tractus faciens. Dum eſt in medio altaris, debitam Cruci, vel Sacramento reverentiam facit, ac deinde ter incenſat reliquam partem anteriorem, ideſt altaris frontem, procedendo ad cornu epiſtolæ, tot gradus faciens, quot thuribuli tractus.

XV. Qua incenſatione completa, ibi in cornu epiſtolæ Celebrans verſa ad diaconum facie, dat utraque manu, prout habet, thuribulum eidem diacono in ſecundo gradu ſtanti, qui thuribulum utraque manu accipit, oſculando in exteriori parte dexteram celebrantis manum, ac deinde catenularum ſummitatem; mox cum thuribulo deſcendit in planum, celebrante tunc in termino cornu epiſtolæ ſuper ſuppedaneum ſtante manibus junctis

ctis, itaut brachio ſiniſtro quaſi tangat altaris frontem; hunc autem ſolum ſic ſtantem diaconus in plano cappellæ ſtans in laterali epiſtolæ cornu, triplici ductu incenſat, facta illi profunda capitis inclinatione ante, & poſt. Celebrans ex Gavanto, cui libens adhæreo, modice caput inclinat. Subdiaconus ſtat manibus junctis a ſiniſtris diaconi celebrantem incenſantis, at nullo modo celebranti ſe inclinat, nec ullam ante ſuum ab altari deſcenſum facit altari reverentiam.

XVI. Diaconus, & ſubdiaconus hinc inde aſſiſtunt Celebranti, dum incenſat, & quum tranſeunt ante Crucem ſemper genuflectunt, etiamſi non adſit in tabernaculo SS. Sacramentum; elevant etiam eam planetæ partem, quæ eſt circa Sacerdotis brachia, ne impediantur, diaconus elevat ſua ſiniſtra, ſubdiaconus dextera ſua, altera manu interim ab utroque pectori admota.

XVII. Liber cum cuſſino amovetur ab altari a thuriferario, ſi abſit cæremoniarius, aliàs a cæremoniario, ſtatimque in loco ſuo reſtituitur apertus. Quod ſi adſit aſſiſtens pluviali indutus, ejus-

dem eſt, librum cum cuſſino amovere, & reſtituere.

XVIII. In defunctorum miſſa non fit in principio incenſatio ad introitum, ſed tantum ad oblata, & poſt oblatorum incenſationem ſolus incenſatur more ſolito Celebrans, alii nequaquam.

XIX. Extra defunctorum miſſam alii plurimi præter Celebrantem, tum in miſſa, ſed in ea tantum poſt oblata, tum in veſperis incenſantur, quia Chriſtus Dominus omnibus odorem ſuum communicat; thurificatio autem repræſentat diffuſionem ſpiritualium gratiarum in capite, & ab eo in membra.

XX. Qui incenſantur ſtent capite omnino detecto, etiam abſque pileolo.

## §. III.

### *Oblatorum incenſatio.*

I. QUemadmodum thuribulum ante Evangelium defertur, quia Chriſtus Dominus odor ſuavitatis in igne paſſionis pro nobis immolatus prædicatur, ita

ita ex Innoc. III. incenſantur oblata, ad unctionem illam recolendam, qua Magdalena ante paſſionem ejus unxit pedes Domini Jeſu, unde impleta eſt domus ex odore unguenti.

II. Celebrans itaque dicto *Veni ſanctificator*, miniſtrantibus diacono in ſecundo gradu, thuriferario ſuper ſuppedaneum, modo ſuperius explicato, ter incenſum immittit in thuribulo. Pro benedictione dicit *Per intercessionem B. Michaelis &c.* ac reddito diacono cochleari, ad verbum *Benedicere*, incenſum, adhuc aperto thuribulo, ſemel benedicit, dextera Crucis ſignum producens, ſiniſtra pectori admota.

III. Accepto, modo ſuperius expreſſo, per diaconi manum thuribulo Sacerdos, nulla facta Cruci reverentia, nec Sanctiſſimo etiam expoſito genuflexione, incenſat oblata hoc modo. Ter ducit æqualiter thuribulum ſuper calicem ſimul, & hoſtiam in modum Crucis per lineas rectas, diacono dextera pedem calicis tenente, deinde demittit thuribulum, circumiens calicem ſimul, & hoſtiam, bis ducens thuribulum circa oblata a dexte-

ra celebrantis ad ſiniſtram, ſemel vero a ſiniſtra in dexteram, & dum incenſat oblata dicit *Incenſum iſtud &c.* quæ verba per totam debet incenſationem diſtribuere. Quum autem ſex ſint oblatorum incenſationes, tres nempe in modum crucis, tres vero in gyrum, ſic ea verba diſponet, ut in prima incenſatione dicat *Incenſum iſtud;* in ſecunda *A te benedictum;* in tertia *Aſcendat ad te Domine;* in quarta *Et deſcendat ſuper nos;* in quinta, & ſeſta *Miſericordia tua.*

IV. Incenſatis oblatis Celebrans, facta Cruci reverentia, vel Sanctiſſimo genuflexione, aſſiſtente ſibi diacono, ipſam Crucem incenſat, & altare more ſolito, genuflectens quando tranſit ante medium altaris, ſi ſit in tabernaculo Sacramentum, alioquin Cruci tantum caput inclinans, diaconus vero genuflectit etiam ad ſolam Crucem, quæ dum a celebrante incenſatur, diaconus poſt oblatorum incenſationem, & ante capitis inlinationem Cruci faciendam, amovet calicem ad partem epiſtolæ, ſed non extra corporale, ſi hoc ſit capax, ſi vero ſit incapax, extra corporale, & incenſata Cru-

Cruce, calicem in loco ſuo reponit. Poſt Crucis incenſationem hìc pariter Sanctorum Reliquiæ conſueto modo ſunt incenſandæ.

V. Celebrans incipit *Dirigatur Domine* dum Crucem incenſat, eaque tali profert ordine, ut per totam ſufficiant incenſationem, itaut v. g. ad Crucis incenſationem dicat *Dirigatur Domine oratio mea;* ad altaris incenſationem a parte epiſtolæ *Sicut incenſum in conſpectu tuo, elevatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum;* ad incenſationem altaris a parte evangelii *Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis;* tandem ad incenſationem totius frontis exterioris altaris, *ut non declinet cor meum in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis;* vel ita ut ſaltem omnia verba cum incenſatione compleantur.

VI. Subdiaconus in tota hac incenſatione nihil ſe movet. Thuriferarius, niſi adſit cæremoniarius, hic autem, niſi adſit aſſiſtens, amovet, & reſtituit librum.

VII. Completa incenſatione Celebrans in cornu epiſtolæ reddit diacono thuribulum dicens *Accendat in nobis Dominus*

*ignem*

*ignem ſui amoris, & flammam æternæ charitatis. Amen*, ibique a diacono ſtante in plano ab eadem parte epiſtolæ incenſatus manus lavat, acolythis ampullam aquæ cum manutergio miniſtrantibus.

VIII. Interim diaconus, comite thuriferario, qui ex Gavanto præcedit, ex aliis aſtat a ſiniſtris diaconi, facta prius altari a dextris ſubdiaconi ab utriſque genuflexione, incenſat chorum cum mutuis debitis reverentiis & a diacono, & ab incenſandis, omneſque de choro tam in acceſſu, quam in receſſu ex utraque parte ſalutans. Incenſandi in choro ſtare debent, quaſi extra ſtallum, nec illi indecorè inniti, ſeque mutuo ad honorem incenſationis invitant, antequam quilibet incenſetur a diacono. In hac incenſatione verius videtur, ut non ſit addendum incenſum, ita cum aliis *Magg. de Divin. offic. opuſc.* 3. *de thurif. diſquiſit.* 15. *num.* 53. *contra Bauld.* vide *Biſſ. litt. D* 123. §. 32. & adverte, quod incenſatio chori terminanda eſt paulo antequam dicatur *Sanctus*; quare ſi tot ſint in choro, ut omnes ſingillatim incenſare, non ſit commodum, tunc incenſentur ſeparatim ii,

qui

qui ſunt in ſedibus ſuperioribus, reliqui vero inferiores incenſantur ſine mora, chorus autem ſic incenſatur. Quum diaconus pervenerit ad chorum, facta prius debita genuflexione verſus altare, converſus, & ſtans in medio, ſalutat totum chorum per gyrum, diaconum omnibus de choro detecto capite reſalutantibus. Deinde diaconus inchoat incenſationem, incipiendo a dignioribus cum debitis reverentiis ante thurificationem, & ſi ſint dignitates, & Canonici Cathedralis Eccleſiæ, etiam poſt thurificationem. In tota incenſatione thuriferarius ſequitur diaconum quaſi ad latus ejus ſiniſtrum. Incenſato choro diaconus ſalutat, ut prius, & per eamdem viam, qua venit in chorum, redit ad altare. Ubi nota, quod immemorabilis conſuetudo, ut eodem tempore thurificentur Canonici, & Magiſtratus, ſervanda eſt S. R. C. 1. *Septemb.* 1607.

IX. Poſt chori incenſationem revertitur diaconus ad altare, & facta tum a ſe, tum a thuriferario altari genuflexione, ſi ante illum tranſeant, ſtans in plano in parte epiſtolæ duplici ductu incenſat ſubdiaconum patenam tenentem

cum

eum mutuis ante, & poſt inclinationibus. Subdiaconus igitur ad diaconum converſus demittit aliquantulum patenam, ac poſtea iterum poſt incenſationem elevat, ſtatimque ad altare ſe vertit. Tum diaconus reddito thuribulo, locat ſe in ſolito ſuo ſecundo gradu ante medium altaris, facta ibidem genuflexione, & inde verſa ad thurificationem facie, tenens junctas ante pectus manus, incenſatur duplici ductu a thuriferario inclinante ſe ante & poſt. Mox idem thuriferarius abſque inclinationibus, vel ad ſummum cum aliquo capitis nutu incenſat omnes ſimul, & abſque mora acolythos, deinde populum.

X. Populus ter incenſatur, primo in medio, deinde verſus latus epiſtolæ, quod eſt dextrum populi, ubi mares ſtant a fœminis diviſi, tertio verſus alterum latus cum ſignificatione honoris ante, & poſt thuriferario adhibita. Stat autem thuriferarius, dum populum incenſat, in presbyterii medio, vel certe a latere evangelii, ſi forte ſit expoſitum SS. Sacramentum in altari, ne terga illi vertat.

XI. Ad elevationem thuriferarius, quan-

quando diaconus genuflectit, ipſe quoque utroque genu in plano in cornu epiſtolæ genuflectit, ac poſito ſine benedictione in thuribulo incenſo, ter incenſat hoſtiam, dum elevatur, & ſimiliter calicem, facta ſemper ante, & poſt inclinatione profunda. Sic autem triplex hæc incenſatio facienda eſt, nimirum unico ductu, & cum profunda capitis inclinatione ante, & poſt, quum Celebrans adorat, deinde unico ductu, quum elevat, demum unico ductu, quum depoſitam adorat hoſtiam. Similiter in calicis elevatione fiat.

XII. In defunctorum miſſa non thuriferarius, ſed ſubdiaconus ſuper infimum altaris gradum genuflexus in cornu epiſtolæ tempore elevationis Sacramentum modo jam dicto incenſat, impoſito a ſemetipſo in thuribulo incenſo ſine benedictione.

§. IV.

## §. IV.

*Incenſatio coram Sanctiſſimo expoſito.*

I. CElebrans modo ſuperius explicato imponit ad introitum incenſum in loco ſolito, aliquantulum tamen ſe retrahens ad cornu evangelii, non autem in medio quaſi faciem ad cornu epiſtolæ convertens, ac de more benedicit, quia præter Sanctiſſimum, thurificandum eſt altare cum celebrante.

II. Tum Celebrans abſque ulla genuflexione deſcendit ad ſecundum altaris gradum, cavens, ne terga Sanctiſſimo vertat, ibique genuflexus ſuper ſuppedaneum medius inter miniſtros ibidem genuflexos, præmiſſa ante, & poſt una cum miniſtris inclinatione profunda, Sacramentum devote, ac graviter triplici ductu, interpoſita inter quemlibet ductum brevi morula incenſat, quo tempore miniſtri ſacri aliquantulum elevant poſteriorem planetæ partem, interim omnibus circumſtantibus manentibus genuflexis. Hinc facta profunda inclinatione

ſur-

ſurgit cum miniſtris, aſcendit ad medium altaris, ibi cum iisdem genuflectit unico genu, & conſueto more incenſat altare. Tranſeuntes ante medium, ſeu recedentes, aut accedentes ad medium ſemper omnes genuflectunt. Solus autem celebrans genuflectendo, manuum extremitates ponat ſuper altare, ut facilius ſurgat.

III. Altaris incenſatione peracta, redditoque in cornu epiſtolæ diacono thuribulo, ſtatim Celebrans deſcendit extra gradus a parte epiſtolæ in planum, verſa ad populum facie, ita tamen, ut terga Sacramento non vertat, ibique a diacono ſtante more ſolito incenſatur. Subdiaconus in loco ſtat commodiori.

IV. Ante Evangelium Celebrans de more ponit incenſum, & cantato Evangelio incenſatur a diacono non deſcendens in planum, ſed adhuc ſtans in cornu epiſtolæ ſuper ſuppedaneum.

V. Poſt offertorium antequam Celebrans retrahat ſe aliquantulum ad cornu evangelii, genuflectit unico genu in medio, tunc ultra medium ſtans, uti ſupra, imponit, ac benedicit de more incenſum;

ac-

accedens iterum ad medium genuflectit, non quia thurificat oblata, ſed quia recedit a medio, & ad medium accedit. Dum incenſantur oblata diaconus tenet de more calicis pedem.

VI. Poſt oblatorum incenſationem non genuflectunt, ſed ſtatim deſcendunt in ſecundum altaris gradum, ibique ſuper ſuppedaneum genuflexi omnia peragunt, ut in incenſatione ad introitum uſque ad Celebrantis incenſationem incluſive; qui tamen hìc antequam redeat ad altare, lavat in plano, & abſtergit manus, inde per laterales gradus aſcendit ad altare, genuflectit in medio, & miſſam proſequitur.

VII. Subdiaconus in hac incenſatione ſtat in plano, quum patenam habeat, nec genuflectit.

Diaconus, incenſato Celebrante, incenſat de more chorum, tum redit ad altare per eamdem viam ſemper cum debitis genuflexionibus, unico tamen genu, SS. Sacramento, ubi ſubdiaconum tenentem patenam incenſat a cornu epiſtolæ, qui propterea recedit ad cornu evangelii, facta prius genuflexione ſuper infimum

al-

altaris gradum, incenſatus autem redit ad medium, ubi iterum genufle&ctit, ut ſupra. Tum diaconus tradit miniſtro thuribulum, ac recedit a cornu epiſtolæ, facta prius unico genu genuflexione, ibique in plano ſtans incenſatur a miniſtro, & poſtea cum genuflexione ad ſecundum altaris gradum aſcendit.

Duo hic nota, alterum quod in miſſa SS. Sacramentum incenſatur a Celebrante ſuper ſuppedaneum genuflexo, extra miſſam vero incenſatur a celebrante genuflexo cum miniſtris ſuper infimum altaris gradum; alterum quod nullus in miſſa coram SS. Sacramento incenſandus eſt ſtans ſuper altaris gradum, ſed tantum in plano.

In veſperis, ſi altaris incenſatio fiat, dum eſt expoſitum in eo SS. Sacramentum, omnes quum pervenerint ad altare, utroque procumbunt genu in plano etiam cum capitis inclinatione, deinde Celebrans aſcendens cum ſuis aſſiſtentibus, oſculatur altare in medio, mox ſtans ut ſupra dictum eſt, imponit incenſum cum benedictione, ſed abſque miniſtrorum oſculis, deinde in ora ſuppedanei cum

aſſiſtentibus genuflexus ter SS. Sacramentum incenſat facta ante, & poſt inclinatione profunda, tum ſurgit cum aſſiſtentibus, aſcendit ad altare, ubi facta unico genu cum aſſiſtentibus genuflexione incenſat conſueto more ipſum altare, genuflectendo ſemper unico genu quum tranſit ante medium. Finita altaris incenſatione, reddit in cornu epiſtolæ thuribulum, redit ad medium altaris, ubi genuflectit unico genu, deinde declinans parumper ad latus evangelii, ne terga vertat Sacramento, deſcendit in planum cum aſſiſtentibus, ibique facta in plano genuflexione ab omnibus utroque genu, omnes redeunt ad chorum eo, quo venerant ordine.

## §. V.

### *Incenſatio ad Veſperas.*

I. ALtare eo prorſus modo incenſatur, ut fit in principio miſſæ abſque expoſitione Sanctiſſimi. Celebrans interim nihil dicit, niſi forte vellet cum aſſiſtentibus Canticum *Magnificat* ſubmiſ-

ſa voce recitare; quod Gavanto minime placet.

II. Primum omnium incenſandum foret altare, in quo ſervatur in tabernaculo SS. Sacramentum, deinde majus altare, poſtea reliqua.

III. In plurium altarium incenſatione non ponatur poſt primi incenſationem novum incenſum, niſi neceſſitas cogat, quod ſi forte ponatur, minime benedicitur. Reliqua altaria incenſantur alicubi tota inſtar primi, alicubi vero Celebrans in plano ſtans ante altare Crucem tantum incenſat, facta ante, & poſt inclinatione profunda, quod magis placet. Altare SS. Sacramenti, & altare majus incenſantur tota, quod puto extendendum ad altare, ubi celebratur feſtum occurrens.

IV. Celebrans completa altarium incenſatione ad locum ſuum reverſus, invitat, ſi ſit in choro, ſibi proximiorem ad honorem thurificationis, ac ſtatim triplici ductu incenſatur a digniori cantore, facta ante, & poſt celebranti profunda capitis inclinatione; incenſatur autem primus omnium, quamvis

adeſſent Cardinales, aut proprius Præſul, qui debent immediate poſt celebrantem ab eodem primo cantore incenſari.

V. Quidquid aliqui in contrarium ſentiant, equidem hac in re ſequor Gavanti omnium coryphæi opinionem, videlicet, ut modica inclinatione Celebrans incenſanti correſpondeat. Excipe niſi incenſatus ſit longe dignior incenſante.

VI. Dignior in choro triplici ductu incenſatur, reliqui omnes duplici tantum ductu S. R. C. 11. *Decemb.* 1604. & 11. *Decemb.* 1614.

VII. Initio orationis, quam incenſum ſignificat, thurificatio ceſſabit, ne figura ſit cum figurato: immo ex *Cæremon. Epiſcop.* debet incenſatio ceſſare ad ℣. *Dominus vobiſcum*; ad ℣. autem *Gloria Patri* convenit pauſam facere, itaut incenſans ſiſtat, & converſus ad altare, caput profunde inclinet uſque ad *Sicut erat* excluſive, incenſationem poſtmodum proſequturus.

TI-

# TITULUS DECIMUS

## ABSOLUTIO DEFUNCTORUM.

### §. I.

*Abſolutio cum Feretro.*

I. ABſolutionis nomine intelliguntur hìc preces illæ, quæ ſuper cadavera, ſeu tumulos defunctorum Deo offeruntur; his enim pia mater Eccleſia petit, ut pro ſua pietate dignetur Deus animas in purgatorio exiſtentes a peccatorum pœnis abſolvere.

II. Tumulus ergo, vel feretrum, ſeu caſtrum doloris, aut lectica mortuorum, niſi præſens ſit defuncti corpus, debet pro cantanda defunctorum miſſa parari, ſi velint hæredes ſumptus facere pro intorticiis.

III. Paratur tumulus in medio eccleſiæ, vel alio congruo loco pro ſitus diſpoſitione. Hinc inde a lateribus ponuntur ſcamna cum foraminibus pro intorti-

ciis, aut quatuor alta candelabra in quatuor angulis. Alii tamen prædicta candelabra collocant quaſi in Crucis modum, unum ſcilicet ad caput, unum ad pedes, altera duo hinc inde, & thumulus in medio; ipſe autem thumulus cooperiatur panno nigri coloris, in quo poſſunt ad ornatum mortuorum imagines inſeri. Nonnulli rubeam ponunt Crucem *Biſſ. litt. T.* 84.

IV. Celebrans dicto S. Joannis Evangelio, retrahit ſe cum miniſtris ad cornu epiſtolæ, facta in medio Cruci altaris reverentia, a miniſtris autem genuflexione; tum deſcendunt omnes per laterales gradus in planum, ubi celebrans manipulum, & planetam deponit, miniſtri vero ſuos tantum manipulos. Celebrans pluviale induit ſtatimque caput tegit, & ſi ſermo ſit habendus, illud induit ante ſermonem.

V. Thuriferarius accipit thuribulum cum incenſi navicula; acolythus vas aquæ benedictæ cum aſperſorio, ac rituali. Subdiaconus Crucem, quam ſic tenet, ut imago Crucifixi ſit verſus populum ipſi ſubdiacono terga vertens, deinde medius

dius inter duos ceroferarios cum candelabris accenſis in honorem Crucifixi, præeunte ante Crucem thuriferario una cum acolytho a ſuis ſiniſtris cum rituali, & vaſæ aquæ benedictæ, quia in defunctorum exequiis thus, & aqua ſunt correlativa, accedunt omnes per planum ante medium altaris, ſubdiaconus, & ceroferarii ſine ulla prorſus reverentia, acolythi vero unico genu altari genuflectunt; Celebrans accedit per planum ad medium altaris habens diaconum a ſiniſtris, & facta aperto capite, & ſtatim a celebrante cooperto debita reverentia, omnes ad feretrum procedunt: ſolus autem celebrans habet caput coopertum.

VI. Quum pervenerint ad tumulum, thuriferarius, & alius acolythus locant ſe prope tumulum a parte epiſtolæ, ubi Celebrantem expectant. Subdiaconus medius inter ceroferarios ſe locat ad pedes tumuli contra altare, verſa ad illud facie, ideſt inter januam eccleſiæ, & tumulum, aliquantulum vero ab illo remotè, itaut relinquatur locus pro tranſitu Sacerdotis, dum caſtrum circumit. Clerus hinc inde caſtrum circumdat.

VII. Quando non eſt præſens corpus defuncti ſemper ſupponuntur pedes verſus altare, quamvis abſolutio fiat pro defunctis Sacerdotibus, quare ſemper, abſente corpore, Celebrans ſiſtere ſe debet in capite tumuli inter altare, & tumulum, ita ut Crucem ſubdiaconi reſpiciat, aliquantulum verſus epiſtolæ cornu, ne terga directe vertat altari; præſente autem corpore Ritualis rubrica ſervetur.

VIII. Præſente igitur cadavere ſemper ſubdiaconus ſtat ad caput defuncti, & ſi inter altare ſit, ac tumulum, ſiſtat aliquantulum verſus cornu epiſtolæ, ne Cruci altaris terga directè vertat. Celebrans detecto capite ſemper ad cadaveris pedem, ſubdiaconum reſpiciens; diaconus ſtet a ſiniſtris celebrantis aliquantulum poſt eum; thuriſerarius poſt celebrantem, acolythus cum vaſe aquæ benedictæ poſt diaconum.

IX. Miniſtris ita diſpoſitis, non autem prius, cantores incipiunt *Libera me Domine;* verſus hujus reſponſorii dicantur a cantoribus, ſed *Requiem æternam* a Celebrante, ſiniſtra pectori admota, Crucis in-

interim ſignum dextera ſuper feretrum producente.

X. Circa finem reſponſorii Celebrans imponit in thuribulo incenſum, benedicens illud more ſolito, miniſtrante naviculam diacono ſine oſculis, interim dicente *Benedicite Pater Reverende*, numquam autem *Pater Reverendiſſime*, etiam ſi celebrans ſit Canonicus S. R. C. 4. *April.* 1699.

XI. Finito reſponſorio, cantor primi chori dicit *Kyrie eleiſon*, cantor ſecundi chori *Chriſte eleiſon*; tandem omnes ſimul *Kyrie*; poſtea Celebrans alta voce *Pater noſter*, cætera ſecreto proſequens. Tum diaconus accipit ab acolytho aſperſorium, quod ibi, non in medio eccleſiæ tradit abſque oſculis celebranti, qui, facta Cruci reverentia, ſeu Sanctiſſimo genuflexione, procedit ſemper per latus ſuum dexterum ad aſpergendum feretrum, habens diaconum a dextris elevantem cum ſiniſtra anteriorem pluvialis partem, quam ſic tenet per fimbrias. Si non ſit in altari SS. Sacramentum, diaconus tamen genuflectit, celebrans vero tantum profunde ſe inclinat; quod ſi tranſierit ante

Sa-

Sacramentum etiam celebrans genufle-ctit.

XII. Thuriferarius, & alius acolythus miniſtrant neceſſaria non diſcedentes a propriis locis: unde colligitur ibi, non in medio aſperſorium, & thuribulum Celebranti miniſtranda eſſe, & colligitur apertiſſime ex ipſa Rubrica, juxta, quam Celebrans intonato *Pater noſter*, primum accipit a diacono aſperſorium, deinde debitam facit altari reverentiam, & ad tumuli incenſationem procedit.

XIII. Accepto itaque Celebrans aſperſorio per latus ſuum dexterum procedens, facta altari reverentia, ſeu genuflexione, circumit feretrum, ter, interim non ſiſtens, ſed progrediens aſpergendo dexterum feretri latus, ſcilicet in capite, in medio, & in pede, terque eodem modo ſiniſtrum, nihil dicens. Quando tranſit ante Crucem inter ipſam, & feretrum, Cruci ſe profunde inclinat, diaconus vero genuflectit.

XIV. Poſtquam aſperſerit feretrum, reddit aſperſorium diacono, ubi prius illud acceperat; diaconus tradito aſperſorio acolytho, ſtatim accipit a thurifera-

rio

rio thuribulum, quod ſine oſculis porrigit Celebranti, qui eodem modo, quo ſupra, circumit feretrum, ter a dextris, terque a ſiniſtris illud progrediendo incenſat.

XV. Aſperguntur autem, & incenſantur fidelium cadavera, ut onorentur ii, qui nos præceſſerunt in ſigno fidei *Baron. ann.* 38. *num.* 312. & ut hujuſmodi ritu futuram corporum reſurrectionem teſtemur. *Prudent. in hymn. de exeq. mort.* Quare priſcis Eccleſiæ ſeculis hedera, vel laurus, & hujuſmodi, quæ ſemper virorem ſervant, ob id in ſarcophago corpori ſubſternebantur; cujus etiam rei meminit *Gregorius Turonenſis* ſermonem habens de S. Valerio Epiſcopo his verbis *lauri etiam folia ſub ſe habebat ſtrata, de quibus aſſumens Epiſcopus multis infirmis præbuit medicinam. De glor. Confeſſ. cap.* 84.

XVI. Abſoluta feretri incenſatione celebrans cum diacono accedunt ad locum ſuum, ubi facta ab utroque debita altari reverentia, verſa ad ſubdiaconum facie, ibique parum a ſiniſtris diacono librum tenente, Celebrans dicit clara voce

ce *Et ne nos inducas*, & junctis manibus *Dominus vobiſcum*, & orationem, quæ terminatur brevi concluſione *Per Chriſtum Dominum noſtrum;* poſtea admota pectori ſiniſtra manu, Crucis ſignum ſuper feretrum dextera producit, interim dicens *Requiem æternam*. Mox cantores cantant *Requieſcat in pace*, non vero *Requieſcant*, ſi pro uno fiat officium, quamquam contrarium doceat Gavantus, cui tamen obſtat expreſſa Ritualis, ac miſſalis Romani diſpoſitio.

XVII. Ubi diligenter eſt adnotandum, quod in abſolutione quidem, ſi officium fiat pro uno, omnia dicenda ſunt in ſingulari, in miſſa vero, invitatorio, pſalmis, & verſiculis nocturnorum omnia dicenda ſunt in plurali, etiamſi fiat officium pro uno. Quare admodum hallucinantur qui contendunt ad ℣. nocturni *A porta inferi*, reſpondendum eſſe *Erue Domine animam ejus*, quando fit officium pro uno, quum alioquin ſemper dicendum ſit *Erue Domine animas eorum*, quamvis pro uno tantum fiat officium. Conſtat apertiſſime ex *Rubr.* 22. *Breviar. Roman.* §. 7. in fine, ubi præſcribitur,

ut

ut in officio defunctorum in fine cujuslibet pſalmi loco *Gloria Patri* dicendum ſit, *Requiem æternam dona eis Domine, etiamſi fiat officium pro uno;* idemque expreſſe habetur etiam in Rituali Romano Rubrica *officium defunctorum*. Si ergo in omnibus pſalmis dicendum eſt in plurali, cur in unico verſiculo dicendum in eodem officio in ſingulari? Nonne hæc eſſet diſcordantia contra ipſarum Rubricarum diſpoſitionem?

XVIII. Reſponſo *Amen* omnes ordine quo venerunt, ſe ad ſacriſtiam recipiunt, debitam ſinguli facientes altari reverentiam, ſi ante illud tranſeant, exceptis ſubdiacono cum Cruce, & ceroferariis.

## §. II.

*Abſolutio ſine tumulo.*

I. QUando non eſt tumulus præparatus ſic facienda eſt abſolutio. Dicto *Requieſcant in pace* in fine miſſæ, Celebrans facta Cruci in medio altaris reverentia, ſe retrahit ad cornu epiſtolæ, ubi ſu-

ſuper ſuppedaneum ſtans deponit caſulam, & manipulum, miniſtri vero manipulum, & accipit pluviale, ſeu remanet in albis, ibique perſeverat converſus ad altare uſque ad finem reſponſorii *Libera me Domine*, qui dum canitur a choro, acolythi extendunt ante medium altaris in plano pannum nigrum.

II. Circa finem reſponſorii Celebrans in eodem cornu imponit incenſum, & poſt ultimum *Kyrie* adhuc ad altare converſus dicit alta voce *Pater noſter*, quem ſecreto proſequens accedit ad medium altaris, ubi facta Cruci reverentia faciem convertit ad pannum medius inter miniſtros, & ter illum aſpergit, ſemel in medio, ſemel a dextris, ſemel a ſiniſtris panni, & ſic etiam incenſat. Hinc converſus ad cornu epiſtolæ dicit verſus ad altare alta voce: *Et ne nos inducas*, reliqua proſequens. Dicto a cantore *Requieſcat in pace* celebrans cum pluviali accedit, inclinans ſe in medio, ad cornu evangelii, legitque de more S. Joannis Evangelium, poſtea in ſacriſtiam recedit.

III. Sed ſi libet, aliam accipe ſimilis abſolutionis formam. Dicto *Requieſcant*

*in*

*in pace* in fine miſſæ, primus cantor intonat abſque cantu pſalmum *De profundis*, quem alternatim proſequitur clerus. Interim Celebrans more ſolito miſſam complet, ac dicto Evangelio S. Joannis, debitiſque factis altari reverentiis, revertitur cum miniſtris ad ſacriſtiam. Dignior autem ex choro, ſtola ab acolytho accepta, facit loco celebrantis abſolutionem. Finito pſalmo cantatur reſponſorium: *Qui Lazarum reſuſcitaſti* addito ℣. *Qui venturus es*, *Tu eis Domine*, mox *Requiem æternam*, demum repetitur *Tu eis Domine*, uti fit in tertio nocturno. Verſus *Requiem æternam* canitur a dicto digniori. Completo reſponſorio primus cantor dicit *Kyrie*, ſecundus *Chriſte eleiſon*, tandem una omnes *Kyrie*. Mox ipſe dignior profert clara voce *Pater noſter*, cætera in ſilentio proſequens, accipit ab acolytho ſine oſculis aſperſorium, terque more conſueto terram aſpergit, deinde manibus junctis dicit clara voce *Et ne nos inducas*, verſus, & orationem. Dicto a cantore *Requieſcat*, ſi pro uno fiat officium, alioquin *Requieſcant in pace*, dignior ſtolam reddit acolytho, omnes ad

ſa-

ſacriſtiam revertuntur. Ita fere quotidie in patria ſervatur a venerabili mea Societate Presbyterorum antiqua, vulgo la *Congregazione della SS. Trinità*, quæ conſtat non paucis inſignis noſtræ Cathedralis Eccleſiæ Canonicis, Parochis, aliiſque ſecularibus presbyteris in ſacris cæremoniis non vulgariter verſatis. Quam autem merito prædicta ſocietas vocetur *Antiqua*, vel ex hoc uno coniici poteſt, quod in decimo ſalutis noſtræ ſeculo, videlicet ſeptingentis triginta octo ab hinc annis, dum hæc ſcribuntur, tali gloriabatur denominatione.

## §. III.

### *Abſolutio ſine Miniſtris.*

I. QUando defunctorum abſolutio in fine miſſæ fit a Celebrante ſine miniſtris, tunc abſoluto S. Joannis Evangelio, ſi feretrum ſit præparatum, celebrans facta Cruci altaris in medio reverentia, retrahit ſe ad cornu epiſtolæ, & inde in planum deſcenſus exuit planetam,

tam, & manipulum, induit pluviale, vel remanet in albis, accedit per planum ad medium altaris, ubi facta Cruci reverentia, vel Sanctiſſimo genuflexione, procedit capite cooperto ad feretrum, ibique miniſtrantibus acolythis, omnia peragit, ut ſupra, excepto quod, ſi non adſit Crux ad tumuli pedes, ipſum non circumit, ſed tantum facta ante, & poſt altari debita reverentia aſpergit, & incenſat a cornu epiſtolæ ter, ſemel ſcilicet in medio, ſemel a dextris, ſemel a ſiniſtris feretri, & dum profert *Oremus* caput verſus altare majus inclinat.

II. Si feretrum non ſit paratum, tunc recole dicta ſuperius in §. præcedenti.

III. In defunctorum abſolutione incenſum benedicitur more conſueto, *Ab illo benedicaris*, verum quæ porriguntur a miniſtris, debent ſine oſculis Celebranti porrigi.

IV. Pro abſolutione, abſente corpore, dici poteſt non tantum oratio, quæ dicta eſt in miſſa, quod maxime convenit in die commemorationis omnium defunctorum, ſed dici etiam poteſt alia ex iis, quæ ſunt in miſſali pro defunctis aſſignatæ, dummodo ſit conveniens defuncto,

pro quo fiunt exequiæ: melius tamen, & communius dicitur oratio *Abſolve*, unde & abſolutionis nomen; quæ oratio dicitur etiam in abſolutione & exequiis Prælatorum, nomen, ac propriam Prælati dignitatem nominando.

V. In die commemorationis omnium defunctorum in abſolutione dicitur oratio *Fidelium*; poteſt autem dici etiam *Abſolve* in plurali numero, quæ habetur inter pſalmos graduales.

VI. Quoniam vero prædicta die ſolent multi circumire ſepulcra, videtur hæc praxis poſſe ruri ſervari, ut primo adeatur Sacerdotum ſepulcrum, cantando reſponſorium *Qui Lazarum* cum ℣. *Requiem æternam dona eis*, ut in tertiis nocturnorum verſiculis poſt lectiones, deinde *Kyrie eleiſon*, *Pater noſter*, trina aſperſio, & thurificatio, oratio *Deus qui inter Apoſtolicos*, omnia in numero plurali. Poſt orationem non dicitur *Requiem æternam*, niſi poſt ultimam abſolutionem. Secundo Confraternitatis adeantur ſepulcra, cantando modo dicto aliud reſponſorium pro defunctis, aut recitando pſalmum *Miſerere*, præcipue ſi longius ſit iter,

de-

deinde *Kyrie eleiſon*, *Pater noſter*, & reliqua ut ſupra. Oratio dicatur *Deus veniæ largitor*. Tertio adeatur cæmeterium cantando aliud ſimile reſponſorium, vel ejus loco dicendo ſine cantu pſalmum *De profundis*. Tum *Kyrie &c.* oratio dicatur *Deus cujus miſeratione*. Ultimo loco adeunda eſt mortuorum lectica, ſeu feretrum, quod ſit in medio eccleſiæ, cantando *Libera me Domine*; hìc in aſperſione, & thurificatione circumitur ſolito more tumulus, & poſt orationem dicitur *Requiem æternam dona eis*, tandem a cantoribus additur *Requieſcant in pace*. In abſolutione in die commemorationis omnium defunctorum non eſt dicenda tota concluſio in oratione S. R. C. 5. *Julii* 1698. nec poſt abſolutionem prædictam eſt eo die addendum: *Animæ omnium Fidelium defunctorum per miſericordiam Dei requieſcant in pace* S. R. C. 2. *Decemb.* 1684.

VII. Si forte in defunctorum abſolutione poſt miſſam pulſetur campanula, quæ certo non eſt tunc pulſanda, pro elevatione SS. Sacramenti in aliqua privata miſſa, Celebrans cum miniſtris debere hoc in caſu genuflectere, niſi aſpergat,

aut incenſet tumulum, ſeu dicat verſus, & orationem, docet Tonellius. Gavantus vero, & Bauldry abſolute ajunt, non debere hoc in caſu neque celebrantem, neque miniſtros genuflectere. In noſtra autem ſententia non tantum celebrans ac miniſtri, verum nec ipſemet chorus debet genuflectere, ne communis cum privata latria confundatur; ne ſacrarum functionum ordo perturbetur; ne cæremoniis cæremoniæ quaſſentur, implicentur, deformentur. Sat ergo erit, ut prædictæ elevationis tempore chorus pileolum deponat, profunde caput inclinans, in ſpiritu Dominum, qui cor intuetur, adorans, non alio tamen ſe vertens, non ordinem ſuum immutans, non genuflectens, non actionem ſacram ne geſtu quidem interrumpens. Sic obſequium Deo præſtabitur, puſillorum ſcandalis obviam ibitur, Agenda ſacra minime confundentur, ſapientibus, & inſipientibus, quando velimus, utriſque cum Paulo, debitores eſſe, fiet ſatis.

§. IV.

## §. IV.

### *Officium Defunctorum.*

I. FIt duplex non deſumpta regula ab uno, ſeu tribus nocturnis, ſed ab occaſione, ac tempore, quo dicitur. Quare ſit duplex in die commemorationis omnium Fidelium defunctorum, & in die obitus, ſeu depoſitionis defuncti. His adde dies tertiam, ſeptimam, trigeſimam, & anniverſariam, quæ dies ſolent eadem celebrari ſolemnitate, qua dies obitus, ac depoſitionis, idque Rituale Romanum expreſſe docet.

II. Celebrat Eccleſia diem poſt depoſitionem tertiam in honorem reſurrectionis Chriſti Domini, qui tertia die reſurrexit a mortuis *Clemens lib.* 7. *Conſtit. Apoſtol. cap.* 48. Septimam vero, ut defunctus valeat ad æternæ quietis ſabbatum citius pervenire *Ambroſ. orat. de fidel. reſurrect.*; ſimiliter trigeſimam exemplo filiorum Iſrael, qui totidem diebus fleverunt Moyſen, & Aaron. Extant etiam miſſæ triginta a S. Gregorio Ma-

gno inſtitutæ, & a S. R. C. 28. *Octob.* 1628. approbatæ, de quibus in noſtra *Solicitud. Paſtoral. part.* 4. *tit.* 4. *ſect.* 2. §. 13. *num.* 11. non autem quædam aliæ miſſæ pro vivis, & defunctis ejusdem S. Gregorii nomine impreſſæ, ſed ei falſo adſcriptæ, unde & a S.R.C. 8. *April.* 1628. rejectæ. Anniverſariam tandem diem, quia ſicut Sanctorum anniverſarium ad ipſorum honorem, & noſtram utilitatem colimus, ita defunctorum anniverſarium ad ipſorum utilitatem, & ad noſtram celebramus devotionem.

III. Anniverſariæ hujus commemorationis conſuetudo invaluit apud Eccleſiam tam græcam, quam latinam unde Tertullianus de *coron. milit. cap.* 3. *Oblationes pro defunctis pro natalitiis annua die facimus*.

IV. Nona dies improbatur ab Eccleſia, ne videatur gentiles imitari, qui novem diebus lugebant mortuos ſuos, & nona die illorum cineres pyramidibus, aut in buſtis recondebant.

V. Invitatorium dicitur in die tantum commemorationis omnium defunctorum, ac in die obitus, ſeu depoſitionis defun-

cti,

cti, quamvis unum tantum dicatur nocturnum, & quandocumque tres dicuntur nocturni, quia ad ſolemnius officium invitandi ſunt plures: quare die 3. 7. 30. & in anniverſariis non eſt invitatorium dicendum, niſi tres dicantur nocturni.

VI. Tres nocturni dicuntur in die commemorationis omnium defunctorum, & in die depoſitionis defuncti; qua tamen die poteſt unum tantum nocturnum cum laudibus dici. Reliquis autem temporibus unum tantum dicitur nocturnum cum laudibus. In die tertia 7. 30. & anniverſaria dicitur unum tantum nocturnum, niſi aliter teſtator diſpoſuerit.

VII. Quando unum tantum dicitur nocturnum, tunc feria 2. & 5. dicitur primum; feria 3. & 6. dicitur ſecundum; fer. 4. & ſabbato dicitur tertium.

VIII. Dies 3. 7. & 30. ſicut & anniverſaria numerari debent a die obitus, ſeu depoſitionis, ut patet ex collectis, in quibus fit depoſitionis mentio; nam S. Ambroſius *ſerm.* 70. ſumit depoſitionis vocabulum tam pro ſepultura, quam pro obitu, quamvis Eccleſia videatur inter obitum, ac depoſitionem diſtinguere

in *tit.* 2. *miſſ. defunct.* ſi quis contendat diſtinguere, numerabit hos dies a die ſepulturæ, qua potiori jure defuncti ſubſunt eccleſiaſticæ curæ, vel ſequatur locorum conſuetudines, niſi teſtatoris verba aliud ſonent, tunc enim ſtandum eſt eorum diſpoſitioni, dummodo Eccleſiæ ritibus illa non obſtet. Dies vero anniverſaria communius ſolet in die obitus celebrari. Cæterum anniverſaria pro defunctis celebrantur ubique etiam extra diem præciſum annuum non incongrue cum miſſa propria.

IX. Licet citius animabus conſulatur, ſi dies anniverſaria in aliquo feſto contingens in diem mutetur præcedentem, quam in ſequentem differatur; quæ ratio militat etiam in 3. 7. & 30. ſæpius tamen in ſequentem non impedita tranſtulit anniverſarias, aliaſque miſſas pro defunctis S. R. C. ac ſignanter 27. *Septembris* 1608. & 19. *Martii* 1614. ſic enim Sanctorum quoque feſta transferuntur. Quomodocumque vero fiat mutatio, quando de perpetua in aliam diem mutatione agatur, ab eo videtur facienda, qui poteſt ultimas voluntates commutare,

ex

ex *Clement. quia contingit de relig. domib.*

X. Etſi mortuorum officium incipiat a veſperis, mane tamen non ſunt umquam dicendæ veſperæ, quamvis præſente corpore. Caret autem hoc officium ſecundis veſperis, ſiquidem tunc ſolum finem eſt habiturum, quando animæ ab omni pœna liberatæ æterna fruentur beatitudine; quare ſancti, de quorum gloria, quoad animam, jam certa eſt Eccleſia, primas, & ſecundas habent veſperas, primas quidem pro jam percepta animæ glorificatione, ſecundas vero pro futura corporis numquam amittenda felicitate.

XI. Oratio Dominica numquam præmittenda defunctorum officio, neque ad veſperas, neque ad matutinum, nec addenda in fine ejusdem officii.

XII. In fine veſperarum, & laudum preces dicuntur ſemper flexis genibus, etiam quando omittuntur pſalmi *Lauda anima mea*, vel *De profundis* ab omnibus, exceptis ob eorum dignitatem Epiſcopis.

XIII. In die commemorationis omnium Fidelium defunctorum officium recitandum

dum eſt integrum, hoc eſt veſperæ, & matutinum cum laudibus, idque ſub mortali ab omnibus, qui ad horas canonicas tenentur. Hora tamen debita matutinum cum laudibus pridie dici poteſt cum matutino, & laudibus officii diei ſequentis.

XIV. Sed actio funebris cum officio, eoque magis cum miſſa defunctorum an facienda ſit pro infante, de quo dubitatur, an cum uſum rationis exceſſerit? Certum eſt, miſſam, & alia ſuffragia non prodeſſe parvulis baptizatis, qui ante rationis uſum decedunt, quum pro indubitato habeamus, eorum animas ad æternam felicitatem ſtatim evolare: nihilominus docet *Azor. part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 22. *quæſt.* 9. quod, dum hi ſepeliuntur, poſſunt miſſarum ſacrificia celebrari, non ut pro prædictis parvulis offerantur, nec ullæ pro iis fundantur preces, ſed ſacrificia, & orationes fiant pro omnibus mortuis, quorum peccata igne purgatorii expiantur, & in ſolatium vivorum, qui vident Eccleſiam ſolicitè ſuffragiis, & ſacrificiis ſuis defunctos juvare. Quapropter in propoſito caſu amplecterer Azo-

rii

rii ſententiam, ut orationes, & ſacrificia pro omnibus quidem fiant defunctis, ut ſupra, ſub conditione tamen ſi noſtro infanti adjumento eſſe non valeant, quum difficillimum ſit de mundano pulvere aliquantulum non ſordeſcere.

XV. Obiter hic nota quod quotieſcumque defunctorum miſſa canitur cum aliqua ſolemnitate v. g. in die obitus 3. 7. 30. anniverſaria, immo & quotidianis exequiis ſemper dici ſequentia debet, & unica oratio; quo caſu privatæ miſſæ debent ſolemnem ſequi, niſi aliud obſtet.

XVI. Oratio in miſſa pro Epiſcopis, aut Sacerdotibus etiam in die 3. 7. 30. & anniverſaria, ſemper erit propria Epiſcoporum, vel Sacerdotum, nihilque refert, in ea mentionem non fieri de 3. 7. &c. die.

XVII. Miſſam pro defunctis, quæ canitur in die 3. 7. 30. & anniverſaria, cantari poſſe non ſolum in duplicibus, verum etiam in feriis, & infra octavas privilegiatas, in quibus prohibetur fieri de feſto duplici, docet cum aliis *Paſqualig. quæſt.* 284. quem refert *Tonellius lib.* 2. *Can. unic. num.* 38. Hoc tamen admo-

dum

dum mihi videtur durùm, ut alibi dictum eſt.

XVIII. Secundo nota, quod in officio defunctorum candelæ accenduntur ad Evangelium, ad elevationem SS. Sacramenti, & poſt miſſam, dum fit abſolutio. Rite ardent ad Evangelium, quo geniti ſunt defuncti; item ad elevationem Sacramenti, quo enutriti fuerunt, & ad abſolutionem, qua in cœlos evehi eoſdem peroptamus.

Miſſæ exequiales de *Requiem* in die depoſitionis defuncti poſſunt, non præſente cadavere, celebrari diebus, in quibus cadit feſtum duplex alicujus ſancti, dummodo non ſit feſtum de præcepto S. R. C. 19. *Septemb.* 1654. ubi vero eſt præſens cadaver celebrari poteſt miſſa ſolemnis de *Requiem*, etſi feſtum ſit de præcepto, nonnullis exceptis uti dictum eſt in noſtra *Paſtoral. Solicitud.*

Parochi, Cappellani Confraternitatum, Sacerdotes, aliique Eccleſiaſtici, qui cotta induti funeralibus interveniunt proceſſionibus, deferant, ſicut in aliis proceſſionibus, birretum ſacerdotale, non vero pileum, excepto tempore pluviæ, &

no-

noctis Clemens XI. 9. *Decembris* 1704.

In depoſitione defunctorum in illis verbis: *Non intres in judicium cum ſervo tuo Domine*, quando eſt mulier, aut plures ſunt defuncti, non poſſunt verba *ſervo tuo* immutari in *ſerva tua*, vel *ſervis ſuis*, at ſervandum eſt Rituale Romanum. S. R. C. 31. *Aug.* 1697.

In exequiis poſt abſolutionem ſupra cadaver in die obitus, & ſupra tumulum in die anniverſario debet in fine ſubjungi, excepta die in commemoratione omnium Fidelium defunctorum, *Anima ejus, & animæ omnium Fidelium defunctorum per miſericordiam Dei requieſcant in pace* S. R. C. 2. *Decemb.* 1684.

In ſecundo triduo majoris hebdomadæ non poſſunt celebrari defunctorum exequiæ; & officium, & preces recitentur privatim S. R. C. 11. *Aug.* 1736.

In parvulorum exequiis in fer. V. VI. & ſabbato majoris hebdomadæ poteſt omitti *Gloria Patri* in pſalmis, qui dicuntur, pro conformitate temporis S.R.C. 16. *Januar.* 1677.

In anniverſario translato non debet variari oratio *Cujus anniverſarium depoſi-*

tio-

*tionis diem &c.* ſed recitanda eſt ut in miſſali S. R. C. 4. *Maii* 1686. & 5. *Jul.* 1698. ſiquidem in anniverſario occurrente in feſto duplici ſecundæ claſſis non poteſt cantari miſſa de *Requiem*, immo nec infra octavas privilegiatas S. R. C. 5. *Jul.* 1698. poteſt tamen cantari in duplici etiam majori, ſi anniverſaria obitus defuncti cadant eo die S. R. C. 22. *Novemb.* 1664. Quod ſi officium anniverſarium, ſeptennarium, vel trigenarium poſt obitum cadat die dominico, ſeu feſtivo de præcepto, transfertur in ſequentem diem cum eadem ſolemnitate S. R. C. 23. *Mai.* 1603. & 27. *Decemb.* 1608. & 19. *Mai.* 1614.

Parochialibus in Eccleſiis ruralibus, in quibus per annum plerumque unus tantum Sacerdos celebrat, & ſine cantu, poteſt dici miſſa de *Requiem*, quando anniverſaria ex teſtatorum diſpoſitione, recurrente obitus die, incidunt in feſtum duplex majus, non idem tamen dicendum de diebus tertio, ſeptimo, & trigeſimo ſed ſervetur generale decretum 5. *Aug.* 1662. in quo diſtricte præcipitur, ne celebrentur miſſæ privatæ de *Requiem*

in duplicibus S. R. C. 19. *Junii* 1700.

In die commemorationis omnium Fidelium defunctorum ſi occurrat officium duplex minus, etiam tranſlatum, officium quidem faciendum eſt de ſancto, miſſæ vero celebrandæ ſunt de *Requiem* S. R. C. 5. *Octob.* 1686. & 19. *Jun.* 1700. & 5. *Mai.* 1736. Quod ſi hac ipſa die objerit aliquis, tunc, ultra miſſam de communi defunctorum, celebranda erit alia miſſa, ut in die obitus præſente corpore S. R. C. 14. *April.* 1646.

Cæterum in die commemorationis omnium Fidelium defunctorum ſacrificia poſſunt a Sacerdotibus celebrantibus applicari ad libitum, ſcilicet vel pro omnibus Fidelibus defunctis, vel pro aliquibus tantum S. R. C. 4. *Aug.* 1663.

TI-

# TITULUS UNDECIMUS

## DIVINISSIMI SACRAMENTI EXPOSITIO.

### §. I.

*Notabilia*.

I. SOlemnitas, qua cœpit publice, & cum pompa venerari SS. Euchariſtia, originem traxit Leodii in Eccleſiam Martini, pie, ac religioſe promoventibus id ſanctis Viginibus Juliana, & Æva apud Urbanum IV., qui datis ad Ævam epiſtolis cum inſtitutionis hujuſmodi laude, ſolemnitatem deinde Corporis Chriſti Domini in Eccleſia univerſali perpetuo celebrandam præcepit. Patent hæc ex actis *Bolland. tom.* 1. ad menſem *April. pag.* 459. 462. 465. 477. & re cognita, ac examinata in S. R. C. 10. *Jun.* 1700. indultum fuit Capitulo Collegiatæ Eccleſiæ S. Martini, ut valeat ſingulis V. feriis, novem lectionum fe-

feſto, ac jejuniorum die non impeditis officium SS. Sacramenti recitare.

II. Oratio 40. horarum cum expoſitione SS. Euchariſtiæ fertur ortum habuiſſe Mediolani anno ſalutis noſtræ 1534. Duce Franciſco II. precibus Boni Cremonenſis in memoriam 40. horarum, quibus Chriſti Domini corpus manſit in ſepulcro. Clemens deinde VIII. orationem hanc Romæ auxit, quam hodie fideles ubique terrarum maxime frequentant.

III. Publica SS. Sacramenti expoſitio fieri nequit ſine Epiſcopi licentia, & ex cauſa publica ab eodem probanda; quæ licentia non debet ſingulis diebus concedi, ſed in quibusdam tantum ſolemnioribus S. R. C. in *Placentina Provinciæ Compoſtellanæ* 4. *Martii* 1606.

IV. Ex cauſa privata, veluti propter gravem alicujus Magnatis infirmitatem, poteſt SS. Euchariſtia ſine ordinarii licentia exponi, dummodo Hoſtia non extrahatur e tabernaculo, ſed clauſa in pyxide albo velo cooperta, ſuper oſtiolo tabernaculi poſita, ardentibus in ſufficienti numero candelis ſuper altare, ornatum pallio officio diei competenti, & cum

aſſiſtentia Sacerdotis S. R. C. 7. *Septemb.* 1598. & 27. *Martii* 1603. *in Neapolit.* 17. *Aug.* 1630. *in Catacen.* 13. *Jul.* 1635. *lit.* 15. *fol.* 220. *in Senonen.* 28. *Februar.* 1654. *ad* 7. *in Cracovien.* 7. *Septemb.* 1697. *ad* 4. *lit.* 47. *fol.* 452. tunc autem, quando aperitur tabernaculum, debet quidem Sacramentum incenſari more ſolito, ſed nullæ dicuntur preces, quando vero clauditur præter incenſationem poſſunt ex Bauldry nonnulla cantari. Dicitur ergo *Tantum ergo* cum oratione *Deus qui nobis*, & ex communiter recepta, nec umquam interrupta conſuetudine Sacerdos pyxide oblongo velo cooperta more ſolito populo benedicit.

V. Regulares non poſſunt abſque Ordinarii licentia SS. Sacramentum cum ſolemnitate exponere S. R. C. 26. *Februar.* 1628. 7. *Mai.* 1603. & 7. *April.* 1632. Dixi *Cum ſolemnitate*, quia iis conceditur SS. Sacramentum exponere ſine licentia ſuper januam tabernaculi modo ſuperius dicto, vel etiam in oſtenſorio, dummodo e tabernaculo minime extrahatur, & velatum remaneat, itaut ipſa Hoſtia nullatenus videatur S. Ep. C. 7.

*Se-*

*Septemb.* 1636. *Biſſ. lit. E.* 232. *in fin.*

VI. Laicorum Confraternitatibus quovis prætextu non licet SS. Euchariſtiam abſque ſpeciali ordinarii licentia exponere S. R. C. 7. *April.* 1632. quæ licentia non debet iis concedi, quando prædicta expoſitio fit in Eccleſia Parochiali S. R. C. 22. *Mart.* 1698.

VII. Licentia ſimpliciter conceſſa intelligitur pro una tantum vice, nec extenditur ultra petita.

VIII. In Sanctorum feſtivitatibus non decet Sanctiſſimum exponere *Biſſ. lit. E.* 232. *ſ.* 5.

IX. In expoſitione publica maxime convenit, ut Sanctiſſimum exponatur in majori altari Eccleſiæ, ſuper quo nullæ collocandæ ſunt reliquiæ, nec ſtatuæ Sanctorum, exceptis ſimulacris Angelorum, qui candelabrorum figuram referant, eo minus animarum purgantium imagines, etiamſi in earum ſuffragium fiat expoſitio. *Clemens XI. in inſtructione* 30. *Januar.* 1705. §. 2.

X. In 40. horarum expoſitione imago, ſive ſtatua altaris cooperiatur, parietes undique altari proximæ tapetiis ornentur,

tur, ita tamen ut nullo modo hiſtorias, reſque profanas contineant, & pridie ſub veſperas poſt conſuetum ſalutationis angelicæ ſignum ſolemniter pulſentur campanæ, quod etiam mane ſub aurora ſervetur.

XI. Ubi fieri commode poteſt, nullus laicus etiam cujuſvis Confraternitatis ſacco indutus permittatur pro aptandis luminibus, aut alia ſimili de cauſa altari inſervire, ſed adſit Sacerdos, aut ſaltem clericus ſive ſecularis, ſive regularis, omnes æque ſuperpelliceo induti; nullo enim pacto laici ſunt in presbyterium admittendi.

XII. Aſtet continuo orans ante SS. Sacramentum flexis genibus unus ſaltem Sacerdos cum ſuperpelliceo, quamvis regularis ſit.

XIII. Eccleſiæ janua veletur, ne poſſit e via Sanctiſſimum conſpici. Super ipſam vero januam collocetur extra aliquod SS. Sacramenti ſignum, & in expoſitione 40. horarum prædictum ſignum feſtis ornatum frondibus ponatur etiam in capite proximæ viæ, ut prætereuntes

tes agnoſcant, ibi SS. Sacramentum expoſitum.

XIV. In qualibet SS. Euchariſtiæ expoſitione prohibetur expreſſe quibuſcumque perſonis, etiam quomodocumque privilegiatis, v. g. Parochi &c. omnino prædicari ſine ſpeciali licentia in ſcriptis obtinenda; immo ne cum dicta quidem licentia debent in ſacris roſtris perorare, ſed tantum ſub veſperas prope altare, minime e ſuggeſto, brevem aliquem ſermonem habere ad devotionem erga SS. Sacramentum fidelium cordibus altius infigendam. *Clemens XI. l. C.* §. 22. ſermo autem fiat omnino detecto capite, non obſtante quacumque conſuetudine, S. R. C. 16. *Febr.* 1630.

XV. Ante SS. Sacramentum expoſitum a quavis perſona cujuſcumque ordinis, ac dignitatis utraque genua flectenda ſunt in plano, tam in acceſſu, quam in receſſu S. R. C. 16. *Aug.* 1651. etiam a Celebrante, nequaquam ſuper altaris gradus. Unde vides, non intelligi hic de genuflexionibus, quæ poſt aſcenſionem ad altare faciendæ ſunt tam a celebrante quam a miniſtris, tunc enim ii genu-

flectunt unico tantum genu in acceſſu, & receſſu abſque capitis inclinatione, ſicuti genuflectit unico genu Sacerdos, quando accipit, & poſtquam depoſuit oſtenſorium ſuper altare occaſione depoſitionis Sanctiſſimi. Ubi ſequentem accipe regulam pro genuflexionibus coram SS. Sacramento expoſito faciendis: quando celebrans accedit ad medium altaris, prima actio ſit genuflexio, antequam altare oſculetur, ſive aliud quid faciat, quando vero recedit a medio, ſive verſus populum ſe convertit, tunc ultima omnino actio, ſit genuflexio.

XVI. Sacerdos miſſam celebraturus privatam, ſi tranſeat ante altare, in quo ſit expoſitum SS. Sacramentum, adorat illud, flectendo utraque genua, tum diſcooperit caput, quo inclinato, adorat, & caput iterum cooperiens ſe erigit S. R. C. 7. *Septemb.* 1638. poſtquam vero ſurrexit, non facit aliam genuflexionem, niſi ſit ante medium altaris tranſiturus. Idem ſervet, ſi per Eccleſiam fiat ei obvius deferens SS. Sacramentum. Biretum nullo modo ponat ſuper calicem, ſed dextera teneat manu de-

demiſſa, & parte bireti aperta ipſum Sacerdotem reſpiciente; vel interim tradat illud miniſtro inſervienti.

XVII. In altari, in quo eſt Sanctiſſimum expoſitum, non eſt celebranda miſſa privata, ſed tantum ſolemnis in expoſitione, ac repoſitione *Clemens XI. l. C. §. 10.* Ubi vero Sanctiſſimum eſt in tabernaculi oſtiolo tantum expoſitum, poteſt in eo altari privata miſſa celebrari, ſed a celebrante ſervanda ſunt omnia, ac ſi eſſet ſolemniter expoſitum, uti fit in fer. V. Cœnæ Domini.

XVIII. Si pro facienda expoſitione dicatur miſſa privata, ea dicenda eſt diebus non impeditis votiva de Sacramento cum pluribus orationibus abſque *Gloria*, & *Credo*; quod ſi dicenda ſit de die, addenda eſt Sanctiſſimi commemoratio, duplicibus primæ, & ſecundæ claſſis tantum exceptis.

XIX. In miſſa pro expoſitione ſive ſolemni, ſive forte privata, duæ ſuper patenam offeruntur hoſtiæ, quarum una locatur ad ſiniſtram celebrantis, hoc eſt ad cornu evangelii ſuper corporale e regione alterius hoſtiæ, quæ eſt in medio,

& poſt conſecrationem non elevatur, quum unica tantum ſit elevanda, ſed poſt ſanguinis ſumptionem Celebrans, locato a latere evangelii, non tamen extra corporale, calice, quem palla tegit, facta genuflexione unico genu, hoſtiam adaptat in oſtenſorio, quod tunc, non autem prius, ad altare defertur, illudque in corporalis medio ponit, & miſſam proſequitur; quæ ſi privata ſit, & adhuc adſit ſuper corporale Sanctiſſimum celebrans, accomodato calice, ſtatuit illum ad cornu evangelii extra corporale, non in medio, ſeu potius ab altero Sacerdote abſtergitur, aptatur, & ab altari calix removetur.

XX. Si difficile poſſit hoſtia aptari in oſtenſorio, aptetur in ſacriſtia, & in ipſo conſecretur oſtenſorio, quod tunc initio miſſæ, vel ante oblationem materiæ locandum eſt ſuper altare retro poſt calicem Si locetur in principio, ad offertorium, & ad conſecrationem eſt aperiendum, ac prope hoſtiam a cornu epiſtolæ ſuper corporale, immo ſuper aram conſecratam, ſaltem conſecrationis tempore, collocandum.

XXI. Ho-

XXI. Hoſtia, quæ pro oratione 40. horarum, vel ſimili fuit expoſita, conſumenda eſt in miſſa a Sacerdote deinde celebraturo, non autem ſimul cum hoſtia a ſe conſecrata, ſed poſt ſanctiſſimi Sanguinis ſumptionem, quum non ſpectet ad idem ſacrificium, nec decet illam in partes diviſam laicis communicaturis diſpenſare.

XXII. Pro facienda expoſitione ſi deſit hoſtia grandior, exponenda eſt in ſphæra hoſtia parva conſecrata. Non poteſt autem parva hoſtia conſecrata affigi hoſtiæ magnæ non conſecratæ, & ita ſimul utraque exponi; id enim nequaquam licet ob idololatriæ ſaltem materialis periculum, quum populus adoret totum id, quod expoſitum eſt, per modum unius. Verum ſi celebranda ſit miſſa, poterit cum magna hoſtia conſecrari particula, quo caſu oſtendatur populo in elevatione hoſtia magna, frangatur vero, & ſumatur particula. Non poteſt tamen ſumi tunc a Celebrante particula in alia miſſa præconſacrata, Hoſtiam vero a ſe conſecratam reſervari pro expoſitione,

quia

quia celebrans debet omnino de proprio ſacrificio participare.

XXIII. Expoſito SS. Sacramento numquam diaconus, aut alius miniſter oſculatur cochleare, thuribulum, ſeu manum Sacerdotis. Excipe tamen primo poſt epiſtolam, & ante evangelium; tunc enim diaconus, & ſubdiaconus non omittunt oſcula conſueta manus Celebrantis in fine epiſtolæ, & reſpective ante evangelium. Excipe ſecundo poſt offertorium, tunc enim diaconus offerens celebranti patenam cum hoſtia oſculatur de more patenam, & celebrantis manum, ſimiliter exhibens calicem oſculatur illum, & manum. Excipe tandem ad *Libera nos*, nam tunc etiam patenam, & celebrantis manum diaconus oſculatur.

XXIV. Thus pro incenſatione Sacramenti non benedicitur, quando ſolum Sacramentum eſt incenſandum; ſi vero etiam altare, Celebrans, aut alii ſint incenſandi, ut ſit ad *Benedictus*, & *Magnificat*, tunc de more benedicitur. Feria vero VI. in Paraſceve, licet incenſandum ſit etiam altare, non tamen incenſum, tunc ex peculiari rubrica benedicitur.

XXV. Quan-

XXV. Quando celebratur ad altare, ubi ſit expoſitum SS. Sacramentum, Sacerdos ad *Lavabo* non ſolum deſcendit per laterales gradus a cornu epiſtolæ extra altare in planum, ſed etiam vertit erga populum faciem; caveat tamen, ne dum ſe convertit, terga vertat Sacramento.

XXVI. Poſt conſecrationem omnes accenduntur candelæ, quæ ſunt in altari, quæque in noſtra Piſtorienſi Diœceſi non debent eſſe pauciores, quam viginti ex cera alba ſemper ardentes.

XXVII. In miſſa votiva ſolemni nulla fit commemoratio, ac in fine non legitur, etiam in dominica, aliud evangelium præter Evangelium S. Joannis, ad quod Celebrans non ſignat altare, ſed tantum ſeipſum, niſi adſit tabella, idque etiamſi Sacramentum foret altius altari.

XXVIII. Toto expoſitionis tempore non celebrentur omnino miſſæ de Requiem *Clem. XI. l. C. §. 10. verſ. non ſi celebrino:* neque cantandæ ſunt etiam pro adimplendis teſtatorum mentibus S. R. C. 2. *Decemb.* 1684.

XXIX. In miſſis privatis, expoſitione du-

durante, non pulſetur ad elevationem campanula, ſed in egreſſu tantum Sacerdotis e ſacriſtia parvulum detur ſignum cum campanula conſueta *l. C.*

XXX. Præſentes orationi 40. horarum, quando ſcilicet ſemper diu, noctuque tenetur SS. Euchariſtia expoſita, ſi confeſſi, & contriti ſint, plenariam conſequuntur indulgentiam ex conceſſione *Clem. VIII. Conſtit. la* 17. *Graves*.

XXXI. Oſtenſorium, in quo Sanctiſſimum exponitur, ſicut & ſphæra, ac lunula, qua Sanctiſſimum ſuſtinetur in oſtenſorio, non ſunt neceſſario benedicenda; ſi tamen ob majorem decentiam benedicantur, non poſſunt niſi ab habente poteſtatem benedici, ita DD., cæterum S. R. C. 16. *Novemb.* 1649. decrevit, ut pyxis, oſtenſorium, & corporalia, quæ immediate inſerviunt SS. Sacramento benedici debeant.

XXXII. Pro oſtenſorio, & ſphæra non adeſt in jure determinata materia, conſultiſſimum tamen eſt, hæc fieri ex auro, vel argento, vel alia pretioſiori materia, vel ſaltem auro, aut argento liniantur.

XXXIII. Velum oblongum quacumque occaſione deferendum ſit SS. Sacramentum, etiam in die Paraſceves, debet ſemper eſſe albi coloris, quemadmodum & baldachinum, immo & ipſum pallium altaris, in quo eſt publice expoſitum SS. Sacramentum, ſemper erit albi coloris, etiamſi miſſa ſolemnis, ibi in alio colore celebretur ex *Clem. XI. l. C.* §. 12.

## §. II.

### *Expoſitio cum Miſſa.*

I. TAm in dominicis, quam in feſtis duplicibus per annum, quando ſolemniter eſt exponenda, ſeu reponenda SS. Euchariſtia, dicenda eſt miſſa votiva ſolemnis de Sacramento in paramentis albis cum *Gloria*, & *Credo*, unica oratione, & præfatione de Nativitate Domini ſine communicantes.

II. Miſſa cantanda de Sacramento non erit per annum de die feſto Corporis Chriſti Domini, ſed miſſa ejusdem voti-

va,

va, quæ ponitur circa finem miſſalis, addito ſi tempus ſit paſchale, ſuis in locis *Alleluja*.

III. Dixi *Per annum*, quia ſi expoſitio, ſeu repoſitio prædicta occurrat infra octavam Corporis Chriſti Domini, tunc miſſa ſolemnis dicenda eſt de octava cum ſua ſequentia, etiamſi officium non fiat de octava, niſi forte incidat feſtum primæ, vel ſecundæ claſſis, tunc enim etiam infra dictam octavam miſſa ſolemnis dicitur de feſto cum commemoratione SS. Sacramenti ſub unica concluſione. Infra eamdem octavam ubi fit proceſſio SS. Sacramenti, ſive ejusdem expoſitio in miſſa ſolemni non fit commemoratio ſancti ſimplicis occurrentis. Sequentia extra dictam octavam numquam dicitur.

IV. In diebus expoſitionis 40. horarum, repoſitionis, & medio miſſæ, cantentur omnino cum miniſtris paratis *Clem. XI. l. C. §.* 10.

V. In miſſa coram SS. Sacramento publice expoſito non eſt omittenda Crucis cum imagine Crucifixi collocatio S. R. C. 4. *Mai.* 1707. omittitur tamen ipſius incen-

cenſatio, quia Crucis loco incenſatur SS. Sacramentum. Excipe in fer. VI. majoris hebdomadæ, quia tali die Eccleſia ſpeciali cultu veneratur Crucem.

VI. Tempore quadraginta horarum intermedio cantetur miſſa votiva pro pace, vel alia re gravi (dummodo non occurrat duplex primæ, vel ſecundæ claſſis, dominica, ſeu feria privilegiata) cum unica oratione, addita oratione SS. Sacramenti ſub unica concluſione *Clem. XI. l. C.* ſine *Gloria*, & *Credo* in paramentis violaceis S. R. C. 19. *Mai.* 1607. niſi ſit dominica, quo caſu dicitur *Credo* ſine *Gloria* in paramentis violaceis *Rubr. miſſ.* ante *miſſ. vot. de SS. Trinit.* Hæc autem miſſa cantanda eſt in altari diverſo ab altari, in quo fit expoſitio, & ab altari, in quo SS. Sacramentum in tabernaculo incluſum aſſervatur. *Clem. XI. l. C.* & manifeſte colligitur ex *Cærem. Epiſcop. lib.* 1. *cap.* 12.

VII. In dominicis primæ, vel ſecundæ claſſis, & generaliter quotieſcumque ratione Kalendarii tam univerſalis, quam particularis illius Eccleſiæ, in qua fit expoſitio, celebratur officium primæ, vel ſe-

ſecundæ claſſis, quemadmodum etiam fer. IV. Cinerum, feriis 2. 3. & 4. majoris hebdomadæ, ſingulis etiam diebus octavarum Paſchæ, & Pentecoſtes, vigilia Nativitatis Domini, vigilia Pentecoſtes, aliiſque diebus, & feriis exceptis, cantanda eſt tantum miſſa occurrens, addita oratione SS. Sacramenti ſub unica concluſione in paramentis officio diei convenientibus *l. C.*

VIII. In miſſa ſolemni pro expoſitione SS. Sacramenti occurrente in Septuageſima, vel in dominica prima Quadrageſimæ addatur primæ orationi oratio SS. Sacramenti, ſecunda erit ſancti ſimplicis, ſi cadat, alioquin ut in Kalendario. Facta igitur confeſſione Celebrans, & miniſtri abſque ulla genuflexione aſcendunt ad altare, ubi deinceps unico tantum genu flectunt ſine ulla capitis inclinatione; faciendo enim genuflexionem unico genu, non debet caput inclinari, ut multi gratis faciunt.

IX. Duæ offeruntur hoſtiæ, & modo ſuperius tradito conſecrantur, quarum unam ſumit Celebrans, alteram pro expoſitione reſervat.

X. Sum-

X. Sumpto pretioſiſſimo Sanguine facta cum miniſtris genuflexione aptatur a Celebrante Hoſtia in oſtenſorio, adiuvante diacono, qui oſtenſorium claudit, illudque in medio altaris collocat ſuper corporale, & facta iterum cum miniſtris genuflexione ſuo progreditur in officio. Acolythi vero diſtribuunt cereos pro proceſſione, ſi facienda ſit.

XI. Poſt ſumptam purificationem, poſito calice extra corporale ad cornu epiſtolæ, Celebrans genuflectit, deinde accepto calice, & in eo facta ablutione digitorum, quos etiam ibidem extergit, rediens ad medium genuflectit iterum unico ſemper genu, ibique in medio altaris ſumit ablutionem more ſolito. Antequam diſcedat a medio dicturus communionem genuflectit, qua dicta, redit ad medium, genuflectit, ſurgit, oſculatur altare, & vertens ſe aliquantulum circa evangelii cornu, ne terga Sacramento vertat, facie ad populum verſa dicit *Dominus vobiſcum*, quo dicto converſus ad altare iterum genuflectit, ſtatim redit ad cornu epiſtolæ, ubi dicit orationem, vel orationes, quibus abſolutis, iterum accedit ad

medium, genufle͡ctit, oſculatur altare, ac rurſus verſus populum, ut ſupra, pronuntiat *Dominus vobiſcum*, ſic ſtans junctis manibus, donec diaconus cantaverit *Ite miſſa eſt*; tum converſus ad altare iterum genufle͡ctit. Si vero dicendum ſit *Benedicamus Domino* converſus ad altare poſt *Dominus vobiſcum* prius genuflectit, quam illud a diacono dicatur. Ipſe autem Celebrans *Ite miſſa eſt*, non dicit ſubmiſſa voce, quum dictum ſit a diacono.

XII. Diaconus ad *Ite miſſa eſt* genuflectit ante, & poſt unico genu, & ſtat verſus populum renes ſemivertens cornu epiſtolæ, faciem vero ad cornu evangelii. Subdiaconus autem non ſe movet. Dum Celebrans dicit *Placeat tibi S. Trinitas*, facta genuflexione recedit a medio altaris verſus cornu epiſtolæ, & flectit utrumque genu in ſuppedaneo; ſubdiaconus vero, facta genuflexione ſuper infimum gradum unico genu in loco, in quo ſtat, ſtatim aſcendit ad ſecundum gradum verſus cornu evangelii, ut genuflectat in ſuppedaneo, ut dictum eſt de diacono, & data benedictione, accedit ad cornu evan-

ge-

gelii, ut de more tabellam evangelii S. Joannis ſuſtineat.

XIII. Ad benedictionem, dicto *Placeat tibi S. Trinitas*, Celebrans oſculatur altare, & dicto *Benedicat vos omnipotens Deus*, caput non inclinat, ſed genuflectit, & converſus ad populum in cornu evangelii more ſolito populum benedicit. Mox non perficit circulum, nec redit ad medium altaris, ut genuflectat, ſed in eodem cornu, ubi populum benedixit, converſus ad altare dicit *Dominus vobiſcum*, & legit modo jam dicto S. Joannis Evangelium. Ad benedictionem omnes, præter Canonicos Eccleſiæ Cathedralis genuflexi eſſe debent in locis ſuis. Dicturus *Verbum caro* genuflectit aliquantulum verſus SS. Sacramentum.

XIV. Finito Evangelio, ſi non ſit facienda proceſſio, Celebrans non deponit planetam, ſed genuflectit in medio unico genu, & humeris ad cornu evangelii verſis deſcendit ſuper infimum altaris gradum, ubi genuflectit utroque genu, caput profunde inclinans, & aliquantulum orat. Mox ſurgens imponit incenſum, abſque benedictione, miniſtrante thuri-

bulum acolytho genuflexo, naviculam vero diacono ſtante, ſed aliquantulum inclinato.

XV. Thure impoſito Celebrans genuflexus accipit thuribulum de manu diaconi ſine oſculis, & SS. Sacramentum incenſat triplici ductu cum profunda inclinatione ante, & poſt. Dum vero incenſat, elevatur planeta ab eo tantum miniſtro, qui eſt a celebrantis dexteris.

XVI. Dum canitur *Pange lingua*, qui dicitur integer, quoties exponitur SS. Sacramentum, omiſſo tamen ℣. *Panem de cœlo*, & oratione *Deus qui nobis*, ex *Clem. XI.* §. 16. diaconus aut alius ſacerdos cum ſtola alba ſurgit, aſcendit, & facta genuflexione in medio altaris ſuper ſuppedaneum, accipit Sacramentum, quod in ſuo loco adaptat, deinde ad celebrantem rediens, iterum in loco ſuo genuflectit, caput profunde inclinans. Tum omnes aliquantulum orant, mox ſurgunt, utroque genu in plano genuflectunt, & dum in ſacriſtiam redeunt, e presbyterio egreſſi biretum accipiunt, & caput cooperiunt.

XVII. Si facienda ſit proceſſio, comple-

pleta miſſa, Celebrans, facta in medio altaris genuflexione deſcendit per laterales gradus in cornu epiſtolæ, ubi depoſita planeta, & una cum miniſtris manipulo, accipit pluviale. Mox accedit nudo capite, & junctis manibus, medius inter ſacros miniſtros per planum, ad medium altaris, ubi genuflectit utroque genu in plano cum miniſtris caput inclinans, ſtatimque erigit ſe ac genuflectit in medio inferioris gradus altaris, miniſtri vero in plano, aliquantulum orans. Mox ſurgens imponit, ut ſupra, incenſum, ſubdiacono in loco ſuo genuflexo pluviale aliquantulum elevante, ne Sacerdotem impediat, dum thus imponit. Incenſatione facta celebrans accipit velum oblongum, & cætera fiunt, ut in ℣. ſequenti dicetur.

XVIII. Proceſſio fieri poteſt tum in expoſitione, tum in depoſitione SS. Sacramenti, regulariter tamen fit ſolum in depoſitione; quod ſi fiat etiam in expoſitione, tunc non datur benedictio, quæ tantum in depoſitione locum habet.

XIX. Quod ſi in alio altari, diverſo ab eo in quo dicta eſt miſſa, SS. Sacramen-

tum ſit exponendum, quod tamen ex mente *Clem. XI.* §. 10. fieri non debet, tunc dicto *Verbum caro* Celebrans, ubi genuflexerit in medio, ut ſupra, accedit per ſuppedaneum ad cornu epiſtolæ, inde per laterales gradus deſcendit in planum extra gradus, ita ut numquam terga Sacramento vertat, ibique planeta cum manipulo depoſita, accipit pluviale, deinde per planum accedit ad medium altaris, utroque genu in plano genuflectit, mox ſurgit, iterum utroque genu ſuper infimum altaris gradum genuflectit, ubi aliquantulum orat, deinde ſurgens, more ſolito imponit incenſum ſine benedictione, miniſtrante thuribulum acolytho genuflexo, naviculam vero ſine oſculis diacono ſtante quidem, ſed paululum inclinato.

XX. Impoſito thure Celebrans genuflexus accipit ſine oſculis a diacono thuribulum, & incenſat Sacramentum triplici ductu cum profunda inclinatione, ante, & poſt, & cum aliqua morula inter unum, & alterum thuribuli ductum, elevante interim pluviale eo tantum

tum miniſtro, qui a dextris eſt celebrantis.

XXI. Incenſatione facta Celebrans velum accipit oblongum, diaconus autem oſtenſorium modo conſueto, quod ſtans porrigit celebranti genuflexo.

XXII. Celebrans accepto Sacramento ſurgit, & aſcendit ſuper altaris gradus vertens ſe ad populum, cantoribus interim adhuc genuflexis intonantibus *Pange lingua*.

XXIII. Dum canitur hymnus proceditur cum thuribulo fumigante, ac intorticiis accenſis, & cum baldachino, ſive umbella uſque ad altare, ubi exponendum eſt Sacramentum.

XXIV. Ibi Celebrans ſtans tradit diacono ſuper infimum altaris gradum genuflexo Sacramentum, quo accepto de manu celebrantis diaconus, ſurgit, & paululum ad Sacerdotem converſus expectat, donec hic adoraverit Sacramentum, quod tum diaconus ſtatim collocat in medio altaris ſuper corporale, mox genuflectit, & ad celebrantem deſcendit, qui depoſito oblongo velo, imponit incenſum nihil dicens, terque Sacramen-

tum incenſat cum profunda ante, & poſt inclinatione, intonans interim ſolito more *Tantum ergo*.

XXV. Sacramento incenſato, diaconus, aut alius ſacerdos cum ſtola alba, aſcendit, genuflectit, accipit Sacramentum, quod in loco parato adaptat.

XXVI. Colliguntur hæc omnia ex ritu færiæ V. in Cœna Domini. Ex inſtructione tamen *Clem. XI.* §. 16. innuitur, SS. Sacramentum incenſandum eſſe, quando fuerit in eminenti reſidentiæ ſuæ throno collocatum, itaut ubi Celebrans pervenerit ad infimum gradum altaris, in quo Sanctiſſimum eſt exponendum, tradat Sacramentum diacono ibi genuflexo, qui ſtatim collocat illud in baſe throni, debitiſque factis reverentiis, ſe ad locum ſuum confert. Tunc cantores lente, ac devote cantant *Tantum ergo*, celebrans depoſito jam oblongo velo ſtans imponit de more incenſum abſque benedictione, mox genuflexus ter Sanctiſſimum graviter incenſat. Non dicitur hìc ℣. *Panem de cœlo*, nec oratio *Deus qui nobis*.

XXVII. Poſt hæc Sacerdos aliquantu-

tulum orat genuflexus, deinde ſurgens, utroque genu cum aliis genuflectit, profunde ſe inclinat, mox ſurgens diſcedit, biretum ſumens, & caput tegens extra presbyterium.

XXVIII. Durante SS. Sacramenti expoſitione, miſſæ privatæ dici poſſunt votivæ de eo ſine *Gloria*, & *Credo* cum pluribus orationibus, diebus vero tantum permiſſis; ſiquidem in feſtis duplicibus, aut in dominicis, miſſæ privatæ dicendæ ſunt de officio diei, addita SS. Sacramenti oratione.

XXIX. Generalem hic nota regulam, quod in commemorationibus faciendis, primo dicendæ ſunt orationes a Rubrica præſcriptæ, deinde collectæ, ultimo orationes ad libitum. Collectæ ab Ordinario præceptæ debent recitari tamquam ex præcepto quarto loco, non omiſſa tertio loco illa, quæ ad libitum S. R. C. 17. *Aug.* 1709.

XXX. Commemoratio Sacramenti in miſſis privatis additur, etiamſi miſſa non dicatur in altari, in quo eſt expoſitum, dummodo in eadem dicatur Eccleſia: omittitur tamen privatis in miſſis in dupli-

plicibus primæ, vel ſecundæ claſſis S.R.C. 2. *Decemb.* 1684. Cæterum, ut dictum eſt ſupra, in ſolemni Sanctiſſimi expoſitione dicendæ non ſunt miſſæ privatæ ad altare, in quo ſolemniter eſt expoſitum Sacramentum.

XXXI. In die Septuageſimæ, vel huic ſimili ſecunda oratio in miſſis privatis ſit de Sancto ſimplici, ſi iſte cadat, alioquin ut in Kalendario; quarta vero oratio de SS. Sacramento.

## §. III.

*Expoſitio abſque Miſſa.*

I. SAnctiſſimi Sacramenti expoſitio fieri de regula generali ſolet ad veſperas ſolemnes infra octavam Corporis Chriſti Domini.

II. Pro exponendo Sacramento Sacerdos debet eſſe indutus amictu, alba, cingulo, ſtola in modum crucis poſita, & pluviali albo; miniſtri abſque manipulo. In minus autem ſolemni expoſitione ſufficit,

ficit, ſi Sacerdos ſit indutus ſuperpelliceo, & ſtola alba.

III. Quum ventum fuerit ad altare, Sacerdos, depoſito more ſolito bireto, genuflectit unico genu ſuper infimum altaris gradum, reliquis in plano ſimul cum eo genuflectentibus, omneſque ſuis in locis aliquantiſper orant; nimirum principalis Sacerdos, & alius ſacerdos illi aſſiſtens genuflexi in infimo gradu, reliqui vero in plano.

IV. Poſt brevem orationem Sacerdos aliquis cum ſtola alba, ſi deſint miniſtri, a cornu evangelii aſcendit ad altare, ibi genuflectit in medio, mox aperit tabernaculum, iterum genuflectit, ſurgens extrahit e tabernaculo Sacramentum, quod ponit in oſtenſorio ſuper corporale loco ſolito extenſum poſito, genuflectit, ſurgit, obſerat oſtenſorium, pyxidem cooperit, digitos lavat in vaſe conſueto, eoſque purificatorio abſtergit, pyxidem reponit in tabernaculo, quo clauſo, oſtenſorium in medio corporalis collocat, genuflectit, faciem ad partem epiſtolæ convertendo, ne terga Celebranti vertat, mox per gradus laterales cornu evangelii

lii deſcendit in planum ad locum ſuum, & ſtolam deponit.

V. Dum Sacramentum ponitur in oſtenſorio, Celebrans ſtans imponit incenſum more ſolito, ſed abſque benedictione, & ſine oſculis, poſtea genuflexus, facta ante, & poſt inclinatione profunda, ter Sacramentum graviter incenſat.

VI. Sacramentum hic incenſandum eſt in altari, priuſquam alibi ponatur, nec incenſari amplius debet, ſcilicet poſtquam fuerit ſub throno collocatum.

VII. Incenſato Sacramento, non autem prius, canitur in choro *Pange lingua*, qui ſolet etiam a Celebrante intonari.

VIII. Interim diaconus, aut alter Sacerdos cum ſuperpelliceo, & ſtola alba, ſive ipſemet Celebrans, ſi alius non adſit, in eminentiori loco præparato Sacramentum debitis factis ante, & poſt genuflexionibus, collocat.

IX. Quo facto Celebrans genuflexus in loco ſuo aliquantulum orat, inde ſurgens iterum cum aliis genuflectit utroque genu in plano; mox ſurgit, diſcedit, bi-

re-

retum ſumens, & caput extra presbyterium tegens.

## §. IV.

### *Depoſitio.*

I. MAxime decet, ut hora opportuna SS. Sacramentum deponatur, itaut mulieres, quæ interſunt, valeant ad domos ſuas ante noctem divertere. Ubi vero ſit continua per horas 40. Sanctiſſimi expoſitio, numquam fœminis ingreſſus noctu permittatur; hinc in noſtra Piſtorienſi Synodo cujuſcumque conditionis mulieribus interdictum eſt, ne publicis ſacris functionibus in Eccleſiis, aut publicis Oratoriis poſt 24 diei horam interſint, pervigilio Nativitatis D. N. J. C. excepto, ſub pœna excommunicationis.

II. Quum Sacramentum eſt deponendum, Sacerdos indutus amictu, alba, cingulo, ſtola, & pluviali albi coloris accedit manibus junctis medius inter diaconum, & ſubdiaconum (ſi facienda ſit pro-

proceſſio, alioquin ſine miniſtris) pluvialis fimbrias hinc inde elevantes, utrumque ſine manipulo, ſolum vero diaconum cum ſtola, omnes cooperto capite, præcedentibus reliquis binis, ac binis.

III. Sacerdos presbyterium ingreſſus, illico detegit caput, porrigens diacono, vel alio biretum, progreditur uſque ad medium altaris; ubi facta cum omnibus genuflexione in plano utroque genu cum capitis inclinatione, ſurgit, & genuflectit ſuper infimum altaris gradum, ubi genuflexus manet donec abſolutis, quæ forte cantentur, precibus, dicat ipſe ſtans orationes junctis manibus, ſuſtinentibus hinc inde librum ante ipſum miniſtris ſuper ſuppedaneum genuflexis; qui tamen, dum preces dicuntur, in inferiori manent gradu poſt Sacerdotem genuflexi. Poterunt etiam preces omitti, & dici ſolum *Tantum ergo*.

IV. Antequam cantetur *Tantum ergo*, Sacerdos ſtans imponit incenſum more ſolito abſque benedictione, genuflectit, & facta ante, & poſt inclinatione profunda ter graviter, ac diſtincte Sacramentum incenſat.

V. Dum

V. Dum Celebrans incipit incenſare, non prius, cantores, aut ipſemet Sacerdos intonat *Tantum ergo*. Sacramentum autem ita moroſe incenſat, ut incenſationem protrahat uſque ad *Veneremur cernui* incluſive, nec citius, nec tardius.

VI. Poſt incenſationem, dum canitur hymnus, per diaconum, ſi adſit, vel per alium Sacerdotem cum ſtola, quo pariter abſente, per ipſum celebrantem deponitur Sacramentum, quod in medio altaris ſuper altare collocatur.

VII. Abſoluto hymno dicitur ℣. *Panem de cœlo*, cui tempore Paſchali, ac per totam octavam Corporis Chriſti Domini in qualibet expoſitione additur *Alleluja*, deinde Sacerdos ſtans, omiſſo *Dominus vobiſcum* ex Decreto S. R. C. *Clem. XI. §.* 21. cantat abſolute orationem junctis manibus cum concluſione: *Qui vivis, & regnas per omnia ſecula ſeculorum*. Miniſtri genuflexi ſuſtinent hinc inde librum ante celebrantem.

VIII. His dictis Celebrans genuflectit, & aſſumpto ſuper humeros oblongo velo aſcendit ad altare, genuflectit in medio unico genu, manibus ſuper altare

po-

poſitis, ad differentiam diaconi, qui numquam tangit altare, profunde caput inclinat, ſurgit, vertit oſtenſorium itaut pulcrior pars, & Imago Crucifixi appareat verſus populum, & manibus veli extremitatibus coopertis accipit oſtenſorium, ſiniſtra quidem per pedem, dextera vero per nodum, & convertens ſe ad populum a parte epiſtolæ illum cum Sacramento benedicit hoc ritu.

IX. Quum ſtat ante populum tenet ante pectus oſtenſorium, tum elevat illud decenti mora non ſupra caput, ſed uſque ad oculos tantum, deinde moroſe illud ſub pectus declinat, ac mox ad pectus recta reducit, poſtea aliquantulum, ad ſiniſtram ſuam ſe vertit erga cornu epiſtolæ, ſtatim reducit ad medium, ibique pauliſper ſiſtit; inde ſe vertit ad dexteram ſuam erga cornu evangelii, circulum perficiens, & Sacramentum ſuper altare reponens.

X. Gratis igitur aſſeritur, ut a dextera rurſus oſtenſorium reducendum ſit ad medium, inde iterum ad dexteram retrahendum, *Ut perficiatur*, ajunt, *Integra Crux conſtans quatuor brachiis duplicatis*. Immo ſic

tria

tria brachia eſſent duplicata, quartum vero triplicatum, ut conſideranti patebit. Aliæ cauſæ, quæ afferuntur, piæ videntur potius meditationes, quam evincentes rationes. Equidem ut a pluribus accepi, communior praxis habet etiam Eccleſiarum almæ Urbis, teſte Merato, ut circulus perficiatur ubi primum verſus eſt ad dexteram Sacerdos; non ſunt enim multiplicanda entia ſine neceſſitate; Unde in *Cæremonial. Epiſcop. lib.* 2. *cap.* 33. præſcribitur, ut Celebrans cum SS. Sacramento producat ſignum Crucis: tamen S. R. C. utrumque modum approbavit 25. *Mart.* 1676.

XI. Dum Celebrans dat benedictionem cum Sanctiſſimo ſuper populum, nihil omnino a quopiam cantandum; poſſunt tamen organa ſuavi, gravique ſono pulſari. Diaconus, & ſubdiaconus, ſive alii hinc inde genuflexi, & facie ad Sacramentum verſa, profunde tamen inclinati, elevant partes pluvialis anteriores.

XII. Depoſito ſuper altare Sacramento Sacerdos facta ſtatim genuflexione unico genu, ut ſe facilius erigat, & profunda capitis inclinatione, nulla interpo-

 ſita

ſita mora, aliquantulum retrahens ſe ad cornu evangelii deſcendit, ac genuflectit in infimo altaris gradu. Tum ſubdiaconus, aut alius amovet ab eo velum oblongum, diacono interim, vel alio ſacerdote cum ſtola ad altare aſcendente, qui facta genuflexione unico genu, aperit tabernaculum, & poſito in eo oſtenſorio, genuflectit priuſquam oſtiolum claudat, & ſtatim redit ad locum ſuum.

XIII. Si tabernaculum ſit adeo parvum, ut oſtenſorium non capiat, tunc diaconus facta genuflexione extrahit e tabernaculo pyxidem, qua ſimul, & oſtenſorio apertis, genuflectit, & in pyxide Sacramentum ponit, lunula diligenter excuſſa, ne ullum in ea fragmentum remaneat, in tabernaculo pyxidem mittit, & antequam oſtiolum claudat, iterum genuflectit.

XIV. Si forte, dum Sacramentum in pyxidem mittit, illud tetigiſſe contigerit, digitos abluat in vaſe purificationis, quod ideo debet eſſe ſuper altare præparatum.

XV. Si diaconus non adſit, ipſe Sacerdos pluviali indutus, aut alius Sacerdos,

quod

quod magis decet, cum ſuperpelliceo & ſtola, Sacramentum ut ſupra reponat.

XVI. Sacramento repoſito, non prius, extinguendi ſunt cerei jam accenſi.

XVII. Si in depoſitione facienda ſit proceſſio, facta Sanctiſſimi incenſatione Sacerdos accipit velum humerale, & medius inter miniſtros aſcendit uſque ad ſuperiorem gradum altaris ſupra quem remanet genuflexus cum ſubdiacono; diaconus vero aſcendit uſque ad altare, ubi facta genuflexione accipit oſtenſorium, quod ſtans porrigit Sacerdoti genuflexo, qui velatis illud accipit manibus, dextera nodum, ſiniſtra vero pedem ipſius tenens; diaconus facta genuflexione mutat cum ſubdiacono locum accedens ad dexteram Celebrantis, qui ſuper ſuppedaneum aſcendens vertit ſe ad populum, miniſtris hinc inde pluvialis fimbrias elevantibus. Tunc, non prius, intonatur per cantores adhuc genuflexos *Pange lingua*, & inchoatur proceſſio, quæ quantum fieri poteſt, ducenda eſt a latere evangelii ad latus epiſtolæ, & modus iſte videtur conformis Pontificali Romano, in quo præcipitur, ut in dedicatio-

ne Eccleſiæ proceſſiones ſic inchoentur. Faciendo hanc proceſſionem tranſeuntes ante altare, in quo ſit SS. Sacramenti tabernaculum non faciant genuflexionem, quum ſint in actuali SS. Sacramenti adoratione.

XVIII. Conſtabit proceſſio ex toto Eccleſiæ clero. Crucifer in hac proceſſione non erit habitu ſubdiaconali indutus, ſed tantum ſuperpelliceo. Toto proceſſionis tempore campanæ ſolemniter pulſentur. Uſque dum celebrans baldachinum ſubeat, interim decens umbella ſuper Sacramentum extendatur. Deferentes baldachinum extra cancellos, ſeu presbyterium ante altare expectent, & in reditu ibidem illud relinquant. Sacramento duo præcedent acolythi, ut dictum eſt in fer. V. Cœnæ Domini, cum thuribulis fumigantibus. Adſint circa baldachinum funalia accenſa. Celebrans deferat Sacramentum elevatum quaſi ante oculos, quos in illud fixos modeſte tenet; Idemque in procedendo dicit ſubmiſſa voce cum miniſtris *Pange lingua*, omneſque hymnos, & pſalmos, quos ſemper incipit primus. In ruralibus autem locis cele-

lebrans non dicit ſubmiſſa, immo expedit, ut cantet cum aliis. Deferentes intorticia debent procedere ante thuriferarios.

XIX. Proceſſio facienda eſt omnino intra Eccleſiam, ſeu per plateam, non ulterius.

XX. Abſoluta proceſſione, quum Celebrans ad infimum altaris gradum ex *Clem. XI.* §. 25. pervenerit, ſtans porrigit oſtenſorium diacono genuflexo, qui, Sacerdote ſtatim genuflectente, & ex dicto Clemente velum deponente, ſurgens locat oſtenſorium in medio altaris ſuper corporale, ſive pallam, quorum alterum debet ſemper Sacramento ſupponi, & facta genuflexione deſcendit, & miniſtrat Sacerdoti, qui ſtans imponit abſque benedictione incenſum, thurificat, & omnia alia fiunt ſuperius expreſſa.

XXI. Quibus peractis deſcendunt omnes, & unico genu ſuper infimo gradu genuflectentes, tectis ante altare capitibus, eo quo venerunt ordine, ad ſacriſtiam revertuntur.

XXII. Reliqua ad SS. Sacramenti proceſſionem ſpectantia dicentur infra, quum

de proceſſione ſolemniſſima in feſto SS. Corporis Chriſti Domini agetur.

XXIII. Illud non videtur omittendum, quod aſſociantes SS. Sacramentum quacumque occaſione etiam Viatici illud deferatur, gaudent Eccleſiæ, & aſylii immunitate S. R. C. 30. *Decemb.* 1636.

TI-

# TITULUS DUODECIMUS

## PROCESSIONES.

### §. I.

*De Proceſſionibus in genere.*

I. PRoceſſio, quaſi progreſſio, dicitur a procedendo, & eundo; fit enim convocato, & procedente clero cum vexillis, Crucibus, & ſequente populo.

II. Memoramus in proceſſionibus, quod Chriſtus Dominus de cœlo venit in uterum Virginis, de utero in præſepe, de præſepe in Crucem, de Cruce in ſepulcrum, de ſepulcro rediit in cœlum; optantes, ut nos, qui non habemus hic manentem civitatem, ſed futuram inquirimus, e mundo revertamur ad patriam, ex una ad aliam Eccleſiam, nempe de militante ad triumphantem, ſequentes Crucem quaſi regale vexillum, & triumphale ſignum, ita ut nobis abſit gloriari,

niſi in Cruce D. N. J. C. per quem nobis mundus, nos vero mundo debemus crucifigi, ſectando veſtigia ejus.

III. Quoniam vero per inania oblectamenta, & gaudia falſa a patria noſtra diſceſſimus, idcirco regulariter utimur in proceſſionibus humili ac flebili cantu, ut detur nobis, poſſe illuc per fletus, & lamenta reverti.

IV. Vocantur alio modo ſupplicationes, eo quod in proceſſionibus D. O. M. precamur, ut omnia nobis proſpere cedant, ejuſque pietati debitas in quantum poſſumus pro beneficiis acceptis gratias agimus.

V. Proceſſiones aliæ ſunt ordinariæ, ut in feſto Purificationis B. M. V. in dominica Palmarum, in Litaniis majoribus, & minoribus, in feſto Corporis Chriſti Domini; aliæ ſunt extraordinariæ, quæ variis, ac publicis Eccleſiæ de cauſis indicuntur in dies.

VI. Indicere proceſſiones publicas extraordinarias nemo poteſt, niſi loci Ordinarius.

VII. In proceſſionibus edicendis debet Epiſcopus petere conſilium, non conſen-

ſum

ſum a capitulo S. R. C. 29. *Mart.* 1628. & cum capituli conſilio determinare per quam viam proceſſiones etiam exemptorum tranſire S. Ep. C. in *Cajetana* 25. *Octob.* 1602. *fol.* 120. quod tamen S. C. C. declaravit intelligi, non de publicis, ſed de privatis proceſſionibus. Item intelligitur de proceſſionibus, quæ fiunt in Civitate, quia non tenetur Epiſcopus petere capituli Cathedralis conſilium in decernendis, ac dirigendis proceſſionibus oppidi ſuæ Diœceſis S. C. C. in *Elnen. pro oppido Perpiniani* 1596. *Nicol. Canon. lucubr. lib.* 1. *tit.* 31. *n.* 14.

VIII. Abſente Epiſcopo ſpectat ad Vicarium generalem edicere, ac dirigere proceſſiones cum capituli conſilio, non obſtante quod capitulum, vel alii ſint in quaſi poſſeſſione contraria S. C. C. 16. *Februar.* 1619. Prima dignitas abſente Vicario, & Epiſcopo dirigit proceſſiones tam intra, quam extra Civitatem S. R. C. 10. *Januar.* 1597.

IX. Parochus abſque Epiſcopi licentia nequit extraordinarias facere proceſſiones. S. R. C. 12. *Jul.* 1636.

X. Non poteſt Eccleſiæ matricis Paro-

rochus generales proceſſiones ad libitum ſuum inchoare, ſed ſpectat ad Collegiatam.

XI. Decreta S. R. C., quod capitulum Collegiatæ ſit in omnibus præferendum Archipresbytero matricis Eccleſiæ, quamvis Archipresbyteralis Eccleſia ſit unica parochialis, collegiata vero penitus careat animarum cura, & quum capitulum fuerit ad levanda funera invitatum, debeant omnes tam ſeculares, quam regulares in eccleſiam collegiatam convenire, ac ſub unica capituli Cruce incedere, ſervari etiam debent in generalibus proceſſionibus, in quibus inceditur etiam ſub Cruce parochiali, nullumque poteſt juribus, & parocho præjudicium inferri. Benedictiones agrorum, atque animalium maledictiones ad parochum quidem ſpectant, ſed hora præſcribi, atque intimari debet a prima dignitate collegiatæ *Pignat. tom.* 6. *conſult.* 74.

XII. Capitulum quamvis non invitatum poteſt generalibus intereſſe proceſſionibus, immo & eſt laudandum *l. C.*

XIII. Regulares non poſſunt proceſſiones etiam privatas abſque Ordinarii licen-

centia facere, niſi intra eccleſias ſuas, & clauſtra, ac monaſteriorum ambitum, hoc eſt prope muros eccleſiæ, ſive exeundo ab una eccleſiæ janua, & per aliam intrando, ſive per eamdem, ſemper autem prope muros eccleſiæ, nullatenus extra ambitum, niſi de licentia, conſenſu, vel cum Cruce parochi, non obſtantibus quibuſcumque conſuetudinibus, aut præſcriptionibus etiam immemorabilibus; privilegiis tamen Apoſtolicis Tridentino poſterioribus in ſuo robore permanentibus S. Ep. C. in *Cortonen.* 22. *Novemb.* 1593. *fol.* 342. S. R. C. in *Cæſaraguſtana* 1617. in *Hiſpalen.* 26. *Februar.* 1628. in *Limana* 15. *Decemb.* 1632. S. C. C. in *Catacen.* 13. *Jul.* 1635. accedente vero Ordinarii licentia poſſunt regulares facere proceſſiones etiam contradicente Parocho S. C. C. in *Nepetina proceſſ.* 1686.

XIV. Suis in proceſſionibus non poſſunt regulares viam ſemel electam mutare, nec pluviale, nec ſtolam extra eccleſias ſuas per alienas parochias deferre *Pignott. tom.* 6. *conſul.* 63.

XV. Non permittuntur regularium proceſſiones per monialium, quamvis eorum

rum regimini ſubjectarum eccleſias tranſire S. Ep. C. in *Piſaurien.* 24. *Novemb.* 1617. etiamſi adeſſet conſuetudo S. Ep. C. 27. *Mart.* 1602. *fol.* 4. & 24. *Novemb.* 1517. ſecus de aliis S. Ep. C. 24. *April.* 1648. *fol.* 45.

XVI. Curet Ordinarius, ut regulares tam in proceſſionibus publicis, quam in iis, quæ fiunt in tumulandis defunctorum cadaveribus, aliiſque ſimilibus, bini cum omni modeſtia, ac decentiâ incedant, & ut ordines ipſi inter ſe minime confundantur S. Ep. C. in *Tolet.* 23. *Aug.* 1593. *fol.* 265. nec intermiſceantur pueri, & puellæ, vel etiam viri cum veſtibus extraordinariis v. g. angelos, aut dæmones repræſentantibus, neque bizzocheræ S. Ep. C. in *Ebredunenſi* 19. *Januarii* 1691. puellæ vero neque cum veſtibus ſuis ordinariis, niſi in conſueto aliarum mulierum loco. S. Ep. C. in *Piacent.* 4. *Sept.* 1602. *fol.* 57. & 31. *Aug.* 1618. *fol.* 293. in *Mutinen.* 14. *Jun.* 1619. *fol.* 210., tradita ordinario facultate procedendi contra regulares cujuſcumque ordinis inobedientes S. Ep. C. in *Cremonen.* 6. *Sept.* 1604.

XVII. Pu-

XVII. Publicæ proceſſiones intelliguntur Corporis Chriſti, Rogationum, quæque fiunt pro publico bono, vel honore S. C. C. in *Mediolanen.* 3. *Aug.* 1658.

XVIII. Solemnis proceſſio certo aliquo die facienda in fer. VI. Paraſceves, eo anno in aliam transferatur diem S. Ep. C. in *Spolet. Vigiliæ S. Benedicti* 25. *Februar.* 1598. *fol.* 20. ſic etiam proceſſiones fieri die Paſchatis conſuetæ, non debent ab Ordinario ad ſabbatum S. anticipari S. Ep. C. in *Neapolit.* 26. *April.* 1604. *fol.* 49.

XIX. Ad publicas proceſſiones accedere compelluntur omnes clerici tam ſeculares, quam regulares, & ſi vocentur, etiam exempti *Trident. ſeſſ.* 25 *de Regul. cap.* 13. cum eorum Cruce S. Ep. C. in *Cajet.* 25. *Octob.* 1602. confirmata 14. *Januar.* 1603. & 7. *April.* 1690. S. C. C. 3. *Aug.* 1658. non obſtante inhibitione S. Ep. C. in *Spolet.* 10. *Januar.* 1648. *fol.* 13. & 14. *Maii* & 23. *Jul.* 1649. *fol.* 16. & 38. Idque poteſt Epiſcopus iis præcipere etiam ſub cenſuris, S. Ep. C. in *S. Dominici* 18. *Maii* 1618. *fol.* 147. ſufficit autem ſi per ſolitum vocentur edictum

S. Ep.

S. Ep. C. in *Foro-Livieri* 25. *Jun.* 1591. & debent congregari cum clero, & populo in cathedrali, ſeu matrice, non autem per vias, aut in porta ſui conventus expectare. S. Ep. C. in *Fanen.* 6. *Febr.* 1590. *fol.* 36. in *Viglievanen.* 13. *Novemb.* 1600. *fol.* 3. Tenentur curati regulares intervenire S. C. C. in *Curien.* 5. *April.* 1631. Immo ad proceſſiones pro cauſa, bono, vel honore publico indictas, intervenire tenentur etiam regulares illorum conventuum, in quibus degit minor numerus, quam duodecim religioſorum, quia nulla eſt indecentia, uti male opinantur nonnulli, ut Crucis vexillum pro paucis erigatur, ſicuti pro veritate fatetur *Paſſerin. de ſtat. homin. tom.* 3. *quæſt.* 189. *art.* 10. *inſpect.* 10. *num.* 1004.

XX. Non tenentur autem accedere regulares, qui abſunt a civitate per dimidium miliare S. Ep. C. in *Averſana* 18. *Januar.* & 23. *Jul.* 1602. *fol.* 37. & 48. & in *Caſſanen.* 25. *Maii* 1640. *fol.* 55. S. C. C. in *Mediolanen.* 3. *Aug.* 1658. Ubi tamen viget conſuetudo, ut regulares, aut etiam laicorum Confraternitates, non obſtante unius miliarii diſtantia, conveniant

niant ad proceſſiones, ſervanda eſt, & convenire tenentur. *Paſſerin. l. C. n.* 1000. S. R. C. in *Nucerin. Paganorum* 12. *Sept.* 1699.

XXI. Nec tenentur regulares intervenire proceſſionibus SS. Sacramenti, quæ per aliquam confraternitatem fiunt S. Ep. C. in *Cuſentin.* 26. *Aug.* 1616. *fol.* 127. nec ei, quæ fit v. g. in qualibet prima vel tertia dominica in matrice, ſeu cathedrali, quia ea eſt proceſſio particularis, non generalis S. Ep. C. in *Verul.* 20. *Jul.* 1592. *fol.* 128. ſacra pariter C. C. cenſuit in privatis proceſſionibus, ad quas alieni non evocantur clerici, ſed ab ipſis capitularibus, & clericis tantum Cathedralis Eccleſiæ ob privatas aliquas cauſas fieri, non habere locum Tridentini decretum ſuperius citatum.

XXII. Immo regulares non tenentur intervenire ad proceſſiones ob cauſam, bonum, & honorem publicum indictas, quando vellent ordinarii dictas proceſſiones perpetuare, & annuatim renovare, niſi nova motiva, novæque innovandi cauſæ concurrant, uti cenſuit S. R. C. in *Biteclen.* 19. *Januar.* 1697. in qua decla-

claratum fuit *edictum Epiſcopi, quo attingebantur regulares ſub pœna ſuſpenſionis, & interdicti eccleſiæ ipſo facto incurrendæ, ad intereſſendum proceſſioni indictæ pro obtinenda liberatione a terræmotu, ſemel jam anno præcedenti factæ, & poſtea renovatæ non ſuſtineri cum omnibus inde ſequutis.*

XXIII. Regulares ſtudiis vacantes nequeunt ad proceſſiones compelli. *S. Pius V. conſtit. la* 41. *etſi* §. 3. *in fine*.

XXIV. Debent regulares in proceſſionibus præcedere omnibus laicorum Confraternitatibus *Gregor. XIII. conſtit. la* 84. *expoſcit*.

XXV. Debent autem regulares ad publicas proceſſiones vocati, non tantum in acceſſu, ut ſupra dictum eſt, ſed etiam in receſſu eccleſiam ex qua, & in qua ſacra functio incipit, aut deſinit, ingredi ibique precibus, ſeu benedictioni uſque ad finem aſſiſtere, non autem completa proceſſione ſtatim a loco recedere prout generalia S. R. C. & S. Ep. C. decreta diſponunt, relata per extenſum a *Pignatt. tom.* 3. *conſult.* 47. *num.* 33. & 34. cæterum recepta ſervetur conſuetudo *Biſſ. lit. P.* 226. §. 24.

XXVI. Sub-

Digitized by Google

XXVI. Subcollectores cogi poſſunt ad publicas proceſſiones accedere S. C. C. in *Cajacen.* 2. *Mart.* 1654. Reliqui ſeculares clerici, qui habent ſola beneficia ſimplicia non tenentur accedere, niſi adſit in contrarium conſuetudo S. Ep. C. in *Gallipolitana* 12. *Mart.* 1601. *fol.* 92. nec clerici, qui ſunt extra civitatem in locis, in quibus habent plebem. Nec Sacerdotes, & clerici, qui nullum officium, ſeu beneficium habent in Civitate, ſeu Diœceſi, maxime ſi nec originarii ſint. S. Ep. C. in *Panormit.* 23. *Novemb.* 1592. *fol.* 28. niſi in ſolemnibus proceſſionibus, in quibus Epiſcopus perſonaliter intervenit, ubi ſolitum eſt, S. Ep. C. in *Cajet.* 5. *Jun.* 1607. *fol.* 2. S. C. C. in *Ravellanen.* 5. *Mart.* 1646. Item eadem S. C. 12. *Jun.* 1677. *lib.* 29. *decret. p.* 451. *T.*

XXVII. Particulares laici poſſunt quidem ab Epiſcopo invitari, minime vero compelli; confraternitates autem laicorum compelli poſſunt, ſed invitari antea debent, S. C. C. in *Papien.* 8. *Maii* 1627. in *Florent.* 13. *Novemb.* pariter 1627.

XXVIII. Puniri non poſſunt qui ad intimatas non accedunt proceſſiones, in

quibus non fuit ſibi conveniens locus aſſignatus, S. Ep. C. in *Maceraten.* 29. *April.* 1574. *fol.* 227.

XXIX. Quum timeantur ſcandala; prohibentur ea vice confraternitates accedere, S. Ep. C. in *Tervi* 24. *Maii fol.* 73. *Nicol. in floſculis verb. Proceſſio n.* 5.

XXX. Duo fieri proceſſiones eadem die, & hora eodem in loco non poſſunt; quod & in novenis locum habet, uti S. Ep. C. reſcripſit Vicario Capitulari Brunduſino in una *Miſeniarum* 17. *Aug.* 1657. *fol.* 128. favore Dominicanorum occaſione novenæ Natalis Domini. Qui igitur ultimo proceſſionem ſuam facere intendunt, debent in aliam diem proceſſionem protrahere S. R. C. 5 *Maii* 1633. quæ eadem S. C. antea 9. *April.* ejusdem anni cenſuit manutenendos illos, qui in proceſſione facienda ſunt antiquiores, itaut non liceat aliis eadem die ſimilem proceſſionem facere. Hinc minores de Obſervantia prohibiti ſunt eamdem cordonis proceſſionem facere, ubi Conventuales eam facere conſueverunt, ex S. Ep. C. 20. *Mart.* 1653. & 7. *Novemb.* ejusdem anni. Item S. R. C. ad favo-

vorem SS. Roſarii contra ſupplicationem B. M. V. de monte Carmelo poſterius inſtitutam in *Hortana* 24. *Januar.* 1615. Pluries etiam S. Ep. C. declaravit, quod confraternitas poſterior non debet eadem die, & hora proceſſionem facere cum antiqua, ſignanter ſub die 28. *Jul.* 1620. & in *Cremonen.* 7. *Jul.* 1651.

XXXI. De jure autem ſpectat ad Parochos facere quaſcumque proceſſiones intra parochiarum ſuarum limites privative quoad regulares; idque etiamſi parochi aſſocientur a ſocietate noviter erecta, regulares vero a ſocietatibus antiquioribus ſibi unitis. *Pignatt. tom.* 6. *conſult.* 63.

XXXII. Unus tamen Parochus non poteſt alteri parocho impedire, ne faciat proceſſiones in propria parochia, alioquin incidit in excommunicationem Papæ reſervatam in Bulla Cœnæ §. 17. & in *Trident. ſeſſ.* 22. *de reform. cap.* 11. *ex Pignattel. l. C.*

XXXIII. Fieri prius debet proceſſio, deinde miſſa ſolemniter cantari, niſi aliter ob gravem cauſam interdum Ordinario, ſeu clero videatur. Excipe etiam

proceſſionem SS. Corporis Chriſti Domini, quæ debet poſt miſſam fieri.

XXXIV. Ea in proceſſionibus modeſtia, ac reverentia tum ab Eccleſiaſticis, tum ab aliis adhibeatur, quæ piis hiſce, & religioſis actionibus maxime debetur.

XXXV. Sacerdos pluviali cum miniſtris, aut ſaltem ſuperpelliceo, & ſtola violacei coloris, ſit indutus, quod in omnibus proceſſionibus ſervandum eſt ſemper, exceptis proceſſionibus Corporis Chriſti, & iis, quæ fiunt ſolemnibus diebus vel in gratiarum actionem, vel in reliquiarum translatione, quibus diebus adhibendus eſt color propriæ ſolemnitati congruens, ſeu quem ſancti, quorum transferuntur reliquiæ, expoſcunt. Cæteri vero clerici in habitu ſuo chorali; Canonici in proceſſionibus intra eccleſiam aperto capite, extra eccleſiam cum bireto in capite incedunt S. R. C. 30. *Mart.* 1733. præter quam in proceſſionibus Corporis Chriſti Domini, in quibus debent aperto capite ubique incedere, etiamſi longe abſint a SS. Sacramento, nec valetudo in hoc caſu excuſat, S. R. C. 3. *Aug.* 1695. Canonici Collegiatæ non debent, uti Cano-

nici

nici Cathedralis, parati incedere S. R. C. 19. *Maii* 1607.

XXXVI. Campanæ in proceſſionibus ſolemniter pulſantur, ad excitandam in populo devotionem, ſolentque Sanctorum Reliquiæ geſtari, exceptis SS. Sacramenti proceſſionibus.

XXXVII. Præfertur Crux cum luminaribus, ea vero a regularibus defertur cum velo pendente, ſeu pallio S. R. C. 14. *Januar.* 1617. ad indicandam ſubjectionem, & inferioritatem reſpectu cleri Secularis, ait Gavantus. Imago Crucifixi debet terga vertere clero ſequenti, quaſi videatur Chriſtus Dominus præire; niſi ſit Crux Archiepiſcopalis, aut Papalis, in qua Crucifixi Imago reſpicit Archiepiſcopum, ſeu Papam, quaſi ex illius aſpectu in ſumma animarum cura ii recreentur; idque etiamſi inter Crucem, & Prælatum incedant Canonici, quidquid nonnulli in contrarium ſenſerint. *Cæremon. Epiſc. lib.* 2. *cap.* 15.

XXXVIII. Crucem debent in proceſſionibus deferre clerici cum veſte talari, & ſuperpelliceo induti cum duobus can-

delabris accenſis ob onorem Crucifixo debitum.

XXXIX. Cruces diſtinctæ deferantur, non autem ſimul, S. Ep. C. in *Verul.* 31. *Maii* 1597. Capuccini poſſunt propriam Crucem deferre *Paulus V.* 1617.

XXXX. In proceſſionibus, in quibus quilibet Eccleſiarum clerus ſub propria Cruce incedit, ſub eadem debet incedere, & regulares non ſub alio vexillo, niſi propriæ Crucis S. Ep. C. in *Neritonen.* 16. *Maii* 1588. ſecus in funeralibus.

XXXXI. Quando non intervenit, niſi una tantum Crux, clerus illius eccleſiæ, cujus eſt Crux quæ defertur, locum debet habere digniorem in *Senogallien.* 29. *Novemb.* 1632.

XXXXII. Presbyteri, & clerici Cathedralis Eccleſiæ omnes faciunt unum corpus cum canonicis, omneſque debent ſub una Cruce incedere S. R. C. 28. *Novemb.* 1609.

XXXXIII. Regulares tum in proceſſionibus publicis, tum in iis, quæ in tumulandis cadaveribus fiunt, debent etiam ipſi, ut clerici ſeculares bini, & bini incedere, S. Ep. C. in *Tolet.* 23. *Aug.* 1593.

me-

merito ſane bini, & bini procedimus; ſic enim ad commendationem fraternæ charitatis, & ſocialis vitæ miſſos a Salvatore diſcipulos Evangelia ſacra teſtantur. Turbat proceſſionem ſiquis ſolitarius incedere curat. *S. Bernar. ſerm.* 2. *de Purificatione*.

XXXXIV. Laici a clericis, fœminæ a viris ſeparatæ proceſſiones in ſilentio, ac modeſtia orantes proſequantur.

XXXXV. In proceſſione, in qua defertur SS. Sacramentum, & lignum SS. Crucis, illius nempe Crucis, in qua Chriſtus Dominus redemptionis pretium perſolvit, clerici tum ſeculares, tum regulares, omneſque laici debent detecto capite incedere; in aliis vero proceſſionibus clerici reliquias deferentes, omneſque laici comitantes detecto incedant capite, reliqui vero clerici extra eccleſiam cooperto capite cum bireto. S. R. C. 2. *Septemb.* 1690. Epiſcopus tamen SS. Crucis reliquiam deferens in pontificalibus poteſt cum mitra incedere S. R. C. 14. *Jun.* 1692.

XXXXVI. Spinæ coronæ D. N. J. C. inter inſignes Reliquias computantur, ac

ſpeciali nota, cultuque ſunt dignæ. Fuſe de reliquiis actum eſt in noſtra *Solicitudin. Paſtoral. part.* 5. *tit. ult.* §. 5. *punct.* 3.

XXXXVII. Imago B. M. V. deferri cum baldachino, & intorticiis in proceſſionibus non prohibetur, S. Ep. C. in *Peruſin. ſervorum* 20. *Jul.* 1621. *fol.* 133. in *Paduan.* 20. *Decemb.* 1609. *fol.* 89. in *Cremonen.* 11. *Maii* 1579. *fol.* 58., dummodo petatur ab Ordinario licentia, ut poſſit abuſibus occurrere S. Ep. C. in *Taurinen.* 12. *Mart.* 1613. *fol.* 27. idem de ſanctorum Imaginibus S. Ep. C. 19. *Jul.* 1647. *fol.* 15. *Nicol. in floſculis verb. proceſſionum.* 9.

XXXXVIII. In fine proceſſionum, quæ fiunt, ſive cum SS. Cruce, ſive cum Sanctorum Reliquiis, & ſacris Imaginibus dari benedictio non debet, quum nullibi talis benedictio præſcripta habeatur, niſi cum SS. Sacramento. Ita *Tonell. lib.* 2. *cap.* 5. §. 4. *n.* 6. ſed certe minus ſcite; contrarium enim diſertiſſime de more docet *Eminentiſs. Lambertin. in paſtoralib. egregiis monitis ſuis part.* 3. *notif.* 6. idque ex antiquiſſima recepta in Eccleſia Dei conſue-

ſuetudine, & ex ipſomet S. Sedis Apoſtolicæ, ſacrorum Rituum magiſtræ, uſu benedicendi cum ſacris Reliquiis rite approbatis; quem uſum laudat idem Eminentiſs. D., probatque, ac retinendum ſuadet.

XXXXIX. Antiqui abuſus debent magna cum cautela auferri, ne majora oriantur ſcandala. S. Ep. C. in *Nucerin. paganor.* 13. *Maii* 1603. *fol.* 53.

L. In Aſcenſione Domini fit ruri proceſſio ſolemnis; præcepit enim Dominus diſcipulis ſuis procedere in montem Oliveti, ut viderent ipſum ad cœlos aſcendere. Nullas adhuc vidi peculiares preces ab Eccleſia præſcriptas in hac proceſſione cantandas. Illud valde placet, ut abſoluta proceſſione cantetur antiphona: *O Rex gloriæ*, ſummi Regis noſtri triumpho læte plaudendo, enixeque precando, ne derelinquat nos orphanos, ſed mittat promiſſum Patris in nos, Spiritum veritatis.

LI. Olim ſingulis infra annum dominicis fieri conſuevit proceſſio in dominicæ Reſurrectionis memoriam. Præcedebat in ea Prælatus, aut alius ſuperior; ſe-

que-

quebatur clerus quaſi Dominum in Galilæam proſequens. *Rupert. lib. 2. de divin. off. cap.* 8. quare locus, in quo abſolvebatur proceſſio, Galilæa nuncupabatur.

Epiſcopus non poteſt pervertere, aut immutare, neque de conſenſu Capituli, ritum proceſſionum a Cæremoniali, ac Rituali romano præſcriptum S. R. C. 26. *Januar.* 1658. non eſt genufle&tendum a capitulo, & clero proceſſionaliter tranſeuntibus ante altare, in quo recondita eſt SS. Crucis reliquia, S. R. C. 15. *Septemb.* 1736.

Cruces altarium, & proceſſionum non ſunt de præcepto benedicendæ, poſſunt tamen a ſimplici Sacerdote privatim, at non ſolemniter benedici, S. R. C. 12. *Jul.* 1704.

## §. II.

### *Litaniarum proceſſio.*

I. LItanias dicimus, non tantum illam nominum recitationem, qua Sancti in adjutorium humanæ infirmitatis vocan-

cantur, ſed etiam quaſcumque orationes, quæ ſacris fiunt in proceſſionibus; id enim eſt græce λιτανεία, ac latine *ſupplicatio*, unde in Eccleſia Rogationum vocabulum.

II. Rogationes, & ſupplicationes fiunt ad evitanda mala, omneque periculum effugiendum, ſed non abſque jejunio, veſte humili, ac lugubri, vocibus in ſupplicantium morem, ſuper omnia contrito & humiliato corde, ne Deus nos deſpiciat.

III. Litaniæ aliæ majores, aliæ vero minores appellantur. Litaniæ rogationum dicuntur minores, quia a minori, ideſt ab Epiſcopo, ſcilicet Claudiano Mamerto, ſeu Mamerco circa Chriſti Domini annum 466. & in minori loco, nempe Viennæ in Gallia inventæ, primumque inſtitutæ feruntur, antiquiores tamen tempore, nimirum Zenone Imperatore. Majores traduntur in die S. Marci, indictæ quidem a Pelagio Romano Pontifice, verum eo in ipſa expeditione, ut referunt, e vivis ſublato, deinde a S. Gregorio Magno ejus ſucceſſore anno Chriſti Domini 590. inſtitutæ; dictæ majores,

quia

quia Romæ, & a Papa tempore Mauritii Imperatoris ordinatæ.

IV. Ferunt igitur Pelagii S Pontificis tempore, tantam fuiſſe per Italiam aquarum inundationem, ut aquæ ad ſummas uſque Neronis templi, quod Romæ erat, feneſtras aſcenderent, nec templum intrarent. Tunc effluxiſſe dicitur e Tyberi ſerpentum multitudo, maximus inter quos extitit draco, e quorum flatibus aere corrupto, peſtis emerſit inguinaria, qua homines paſſim, ſubitoque interibant. Quum autem totus ferme Romanus populus deleretur, Pelagius omnibus jejunium indixit, publica ſupplicatione decreta. Sed in ipſa proceſſione idem Pelagius cum aliis ſeptuaginta expiravit, cui ſubſtitutus Gregorius primus, qui magnus dictus eſt, has litanias præcepit ubique terrarum ſervari.

V. Contigiſſe Romanis peſtis hæc inguinaria narratur ex eo, quod quum in quadrageſima continenter vixiſſent, & in Paſchate ſacratiſſimum Chriſti Domini Corpus recepiſſent, poſtmodum ludis, commeſſationibus, & luxuriis fræna laxarunt.

VI. Hæc

VI. Hæc autem lues, ut ajunt, tam ſæva fuit, ut ubique homines ſtatim ac ſternutabant, ut plurimum ſpiritum emitterent, unde quum aliquis ſternutaret, audientes illico dicebant, *Adjuvet te Deus*, qui mos adhuc inter nos ſervatur. Rurſus, ut ferunt, quum tunc aliquis oſcitaret, ſæpius repente obibat, unde quum quis oſcitare ſe velle ſentiebat, continuo Crucis ſignum ori ſibi imponere feſtinabat, quæ conſuetudo ad hos uſque dies in viridi eſt obſervantia.

VII. Verum eſt hic adnotandum, quod hanc majorum litaniarum inſtitutionem; hanc iſtis in terminis Pelagii mortem; hanc ſternutationem, atque oſcitationem, non omnes, maxime vero recentiores critici, tam facile admittunt; itaut verius omnino videatur, neque Pelagium, neque Gregorium iſtarum litaniarum fuiſſe auctores, nec dictas eſſe majores ob differentiam aliarum litaniarum, quæ fiunt triduo ante Aſcenſionem, quæque minores appellantnr; ſiquidem hæc, de qua loquimur, litania *major* dicebatur etiam antequam Rogationes eſſent ab Eccleſia Romana receptæ, ut acerrimi,

ac

ac diligentes antiquarum rerum inveſtigatores exactiſſime animadvertunt. Unde ergo majores dictæ? Certe vel quia ex toto clero tam ſeculari, quam regulari, atque ex magno populi concurſu componebantur, vel potius ob longitudinem itineris, quod hac die vere in longum protrahebatur. Quidquid autem ſit, illud certum eſt, perveruſtum eſſe in Eccleſia hujuſmodi litaniarum uſum.

VIII. Quoad Mamertum Viennenſem Epiſcopum tradunt, ipſum ob peſtem luporum, aliarumque acriter homines in Galliis perimentium ferarum, & ob periculoſos illic crebro terræmotus triduanum populis jejunium indixiſſe, & litanias inſtituiſſe. Ceſſante autem immani illa perſequtione jejunium iſtud in annuæ obſervationis conſuetudinem devenit.

IX. Nonnulli tamen opinantur, quod Mamertus iſte vere non fuerit iſtarum litaniarum inſtitutor, ſed tantum antiqui hujus ritus jam obſoleti inſtaurator, quum de iis mentio fiat ab *Auguſt. ſerm.* 173. *de tempore*; cujus tamen ſermonis auctorem non Auguſtinum, ſed Cæſarium Arelatenſem S. Mamerti coetaneum alii fuiſſe

iſſe contendunt: quare probabilius dicendum, litanias minores vere a S. Mamerto inſtitutas.

X. Sed quomodo litaniæ minores in Eccleſia univerſali? Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Leonis III. ſic ſcribit: *Ipſe vero a Deo protectus, & præclarus Pontifex conſtituit, ut ante tres dies Aſcenſionis Dominicæ litaniæ celebrentur.* Jacobus autem a Vitriaco *ſerm. fer.* 2. *in Rogat.* Liberium Papam hujus in Eccleſia Romana ritus agnoſcit auctorem.

XI. In feſto igitur S. Marci fit proceſſio ad præcipuas eccleſias juxta locorum conſuetudines, unde in *Concil. Aquiſgranaten. Can.* 10. ſic habetur: *Ut litania major more Romano ab omnibus in ſeptimo Kalendas Maii celebretur.*

XII. Fuit ita ſupplicatio quomdam dicta *Proceſſio nigra*, eo quod in mæſtitiæ ſignum tunc & Cruces, & altaria velis nigris, immo omnes nigris veſtibus operiebantur.

XIII. Huic proceſſioni præmittitur antiphona *Exurge Domine*, in cujus fine non additur, ut nonnulli faciunt, *Alleluja*, ſi enim eſſet addendum, Rituale Roma-

num

num non omiſiſſet. Dicitur autem omnibus ſtantibus, ea tamen abſoluta, ſtatim omnes genuflectunt, nec prius ſurgunt, qua dictum ſit, *S. Maria ora pro nobis*. Incipiunt litanias flexis genibus duo cantores. In proceſſione præcedit Crux cum candelabris accenſis, ſequitur ordinatim clerus.

XIV. Si proceſſio ſit longior, reſpondendum dictum a cantoribus, itaut duplicentur litaniæ, ſi vero ſit brevior, ſufficit reſpondere quod ſequitur alternatim; nam hæ litaniæ non ſunt ex ſe duplicandæ. Quod ſi litaniæ nec duplicatæ ſufficiant, non ſunt a capite repetendæ, ſed quum ventum fuerit ad pſalmum *Deus in adjutorium* excluſive, intermittantur, & pſalmi graduales, pœnitentiales, aliique ad pœnitentiam excitantes dicantur. Hoc tamen ruri, ut plurimum, vix datur poſſe ſervari. Quæris cur ita? *Domine hominem non habeo*. Hymni vero, cantica, ſeu reſponſoria lætitiæ in Rogationibus, aliiſque pœnitentiæ cauſa inſtitutis proceſſionibus, minime dicantur.

XV. Ingrediendo in aliquam Eccleſiam, ſi in ea cantanda non ſit miſſa, intermiſ-

miſſis litaniis, cantatur antiphona cum verſu, & oratione S. Titularis illius eccleſiæ, in egreſſu autem clerus litanias proſequitur. Quod ſi in eccleſia ad quam dirigitur proceſſio, ſit cantanda miſſa, tunc pariter litaniæ ceſſant, abſoluta miſſa finiendæ, dum iterum ordinatur proceſſio. Si dicta eccleſia habeat titulum S. Marci, tunc in ea non cantatur miſſa litaniarum, ſed S. Marci, ratione tituli S. R. C. 23. *Mart.* 1603. ſine commemoratione litaniarum, quod etiam ſervatur in eccleſia, ad quam terminatur proceſſio, ſi ejusdem ſit tituli.

XVI. In fine proceſſionis quum ad propriam eccleſiam pervenerint, omnes ſe recipiunt in choro, ubi flexis genibus dicunt, cantoribus incipientibus, pſalmum *Deus in adjutorium*, ſiquidem neque pſalmus, neque preces ſubſequentes dici debent in via. Poſtea Hebdomadarius adhuc genuflexus dicit verſus precum, choro reſpondente; finitis precibus hebdomadarius ſtans dicit *Dominus vobiſcum*, poſtea orationes.

XVII. Sola præſentia in proceſſione minime ſufficit ad ſatisfaciendum præ-

cepto, niſi cum attentione litaniæ dicantur.

XVIII. Non eſt improbabile, ut in privata recitatione litaniæ dici valeant pridie cum matutino ſequentis diei ex *Gavanto*, & *Biſſ. lit. L.* 114., quia rubrica conjungit litanias cum laudibus, quibus idcirco adimitur ℣. *Fidelium animæ*, nec obſtat eſſe onus diei ſequenti affixum, hoc enim nimis probat, quia etiam matutinum eſt tale, & tamen per recitationem pridianam facimus ſatis: quum autem litaniæ ſint laudibus acceſſoriæ, cur non debent ſui principalis naturam ſequi?

XIX. Miſſa ex Rituali Romano ſolemniter celebranda eſt poſt proceſſionem, quæ fieri prius debet, niſi aliter ob gravem cauſam interdum Ordinario, ſeu clero videatur. Miſſa vero cantanda eſt de Rogationibus, in qua non fit commemoratio S. Marci, neque dominicæ, nec octavæ Paſchatis, ſi infra eam litaniæ occurrant, ſed ſecunda oratio erit *Concede*, tertia *Eccleſiæ*, non dicitur *Credo*, etiamſi occurrat infra octavam Paſchatis S. R. C. 5. *Jul.* 1698. aut in domi-

minica, quum iſta miſſa ſit ferialis S. R. C. 25. *Septemb.* 1688. Præfatio erit Paſchalis in cantu feriali, & ſi incidat infra octavam Paſchæ dicitur *Communicantes*, & *Hanc igitur* propria, *Benedicamus* vero ſine *Alleluja*.

XX. Si feſtum S. Marci occurrat in dominica Reſurrectionis, litaniæ ſolum transferuntur in tertiam ſequentem feriam S. R. C. 25. *Septemb.* 1627., miſſa erit conſueta de Rogationibus in paramentis violaceis eo ritu, quo mox dictum eſt.

XXI. Litaniæ minores dicuntur eo modo, quo majores in feſto S. Marci. Congregationes, Religiones, Nationes, aut Eccleſiæ, quibus ab Apoſtolica Sede indultum eſt ſingulis hebdomadis, aut menſibus recitare officium de SS. Sacramento, vel aliquo ſancto, non poſſunt in feria ſecunda Rogationum uti hujuſmodi privilegio, quamvis nullum hac die incidat feſtum novem lectionum, quum ſit feria major S. R. C. 20. *Mart.* 1706.

XXII. In litaniis tum Sanctorum, tum brevibus pro commendatione animæ poſt S. Joannem Baptiſtam apponendum

eſt nomen S. Joſeph S. R. C. 19. *Dec.* 1726.

XXIII. Cæterum Sanctorum nomina nullo prætextu ſunt in litaniis invertenda, nec alia addenda, licet ſint Patroni, ſeu Titulares S. R. C. 22. *Maii* 1631., & ex *Conſtitut. Clem. VIII. la* 122. *Sanctiſſimus* 1601. expreſſe prohibentur imprimi, ſeu recitari aliæ litaniæ præter litanias Sanctorum, & B. M. V., Lauretanas appellatas.

XXIV. Dum dicitur *Agnus Dei* in litaniis percutitur pectus, quæ percuſſio facienda eſt dexteræ digitis ſimul junctis, & clauſis, ſiniſtra infra pectus poſita. In miſſa tamen poſt conſecrationem ſiniſtra ponitur ſuper corporale, percuſſio vero pectoris fit ſolis tribus extremis digitis ſimul junctis.

## §. III.

*Proceſſio ſolemniſſima in feſto Corporis Chriſti Domini.*

I. CEleberrima feſti hujus inſtitutio ab Urbano IV. originem trahit, ipſe quippe decrevit, ut dies ille feſtus

fer.

ſer. V. proxime octavam Pentecoſtes ſequenti coleretur, ut qui per totum anni circulum SS. Chriſti Domini Corpore utimur ad ſalutem, ejus inſtitutionem illo maxime tempore recolamus, *Quo S. Spiritus corda Diſcipulorum edocuit ad plene cognoſcenda hujus myſteria Sacramenti; nam & in eodem tempore cœpit hoc Sacramentum frequentari*, teſte Angelico Doctore, qui ejusdem Urbani juſſu mira cum devotionis ſuavitate hujus ſolemnitatis officium cum ſuis octavis integrum compoſuit, & in omnibus Orbis catholici Eccleſiis lætiſſime cantatur, & legitur.

II. Jucundiorem hujus diei cultum facit publica totius cleri, ac populi ſupplicatio eo die fieri ſolita, & peccatorum condonatio, quæ Pontificis beneficio ſingulis, qui divinis officiis, inde forte omnibus interdiu celebratis, in hac ſolemnitate perſonaliter interfuerint, Apoſtolica largitione conceditur. *Clementin. Si Dominus de reliquiis & venerat: Sanctor.*

III. Indulgentiæ conceſſæ iis, qui interſunt horis canonicis in feſto, ac per octavam SS. Corporis Domini valent,

etiamſi officium dicatur de ſanctis occurrentibus ex decreto Joannis 22., quod ſe legiſſe in antiquo manuſcripto teſtatur *Gavantus Comment. in Rubr. Brev. Roman. ſect. 6. cap. 20. n. 5.*

IV. Proceſſio SS. Corporis Domini, ſicut & litaniarum, parochiales inter functiones numerantur in *Clement. p. §. Non itaque de reliq. & vener. SS.* & præcipue ad eccleſiam loci matricem, tamquam de illius juribus pertinet, S. R. C. maxime in *Florent.* 27. *Jun.* 1620. in *Camerinen.* 23. *Apr.* 1633. & in *Siracuſ.* 6. *Sept.* 1636. Quamobrem in eodem caſtro in die feſto SS. Corporis Domini facienda eſt in eccleſia parochiali ſeculari, non autem regulari S. C. C. in *Hipporegien.* 3. *Jun.* 1651. *Pignatt. tom.* 1. *conſult.* 371. nec licet regularibus, aut confratribus ducere ſupplicationem die dominico, vel alio infra octavam SS. Corporis Domini, niſi intra clauſtra, & ambitus eccleſiæ exeundo ab ejus janua, & per eamdem redeundo, S.R.C. in *Cæſaraguſt.* 17. *Mart.* 1627. in *Hiſpalen.* 26. *Februar.* 1628. & pluries, & licet de Parochi conſenſu poſſint regulares, & confratres ducere ſuppli-

plicationes intra parochiæ limites, non poteſt tamen, nec debet permitti, ut regulares dicto die dominico celebrent in eccleſia parochiali miſſam ſolemnem, & incipiendo ſupplicationem ab eadem eccleſia deferr..t SS. Sacramentum, quum id ſolum ad eccleſiæ parochum ſpectet, & in hoc minime ſuffragatur aliqua conſuetudo, tamquam irrationabilis *Pignatt. tom.* 4. *conſult.* 85.

V. Hodierna igitur ſupplicatio debet in Civitate a Cathedrali, in Diœceſi vero ab eccleſia matrice inchoari, ibique terminari S. R. C. in *Tiraſonen.* 19. *Aug.* 1619. Delatio autem SS. Sacramenti fit a prima dignitate, & ubi non ſunt dignitates a Curato, S. C. C. 18. *Mart.* 1602. *Nicol. Canonic. lucubr. lib.* 3. *tit.* 41. *n.* 24.

VI. Sacramentum manibus, non humeris eſt a Sacerdote deferendum S. R. C. 2. *Jun.* 1618. Oſtenſorium vero non debet eſſe velo coopertum.

VII. In proceſſione SS. Sacramenti clerici tum ſeculares, tum regulares, omneſque laici, exceptis confraternitatum ſaccis indutis, debent aperto capite incedere. Præcedunt confraternitates, inde

regulares, tandem clerus, omnes cum cereis accenſis, quos ea manu, quæ extima eſt, deferunt, altera pectori admota. Cerei ardebunt uſque ad repoſitionem SS. Sacramenti in tabernaculo incluſive. Hymni per viam decantentur alternatim, a Celebrante vero dicuntur ſubmiſſa voce, in ruralibus autem locis ubi non ſunt experti cantores, expedit ut etiam celebrans, & miniſtri decantent. Quamvis Epiſcopus non deferat ipſe Sacramentum, canonici tamen ſacras induant veſtes S. R. C. 17. *Mart.* 1628., qui Crucem defert maxime congruit, ut hodierna in proceſſione ſubdiaconali veſte ſit indutus.

VIII. Quando proceſſio forte ſiſtit, Celebrans, & miniſtri numquam debent, nec in ſedibus, nec in ſcamno ſedere S. R. C. 21. *Januar.* 1690.

IX. Vie floribus, tapetiis, picturis ſacris ornentur. Erigi quoque poſſunt per vias aliqua altaria, in quibus adſit corporale, ſeu palla, ſi forte collocandum ſit ibi Sacramentum; niſi burſa cum corporali ab acolytho deferatur, quod magis convenit. Non eſt tamen neceſſe, ut

præ-

prædicta altaria petram habeant ſacratam, quum non ſit ibi celebrandum, ſicuti nec tres mappas.

X. Dum proceſſio eſt in via ſemper ſolemniter pulſentur campanæ eccleſiæ matricis, & aliarum eccleſiarum, per quas tranſit proceſſio.

XI. Proceſſionis tempore Celebrans eccleſiam aliquam ingrediens, depoſito in altari majori ſuper corporale Sacramento, illud genuflexus ſuper infimum altaris gradum ter graviter incenſat, deinde iterum per diaconi manum more ſolito accepto Sacramento proceſſionem proſequitur.

XII. In proceſſione tranſeuntes ante SS. Sacramentum non debent genuflectere; dum enim Sacramentum comitamur, in actuali ejus adoratione ſumus *Biſſ. lit. G.* 20. Idem videtur ob eamdem rationem dicendum, quando in proceſſione cantatur *O ſalutaris Hoſtia; Tantum ergo; Te ergo quæſumus tuis famulis*. Et quidem *Extra eccleſiam* minime, *Gavant. part.* 4. *tit.* 8. *n.* 9. *lit. R.* ſed nec intra eccleſiam *Biſſ. lit. T.* 10.

XIII. Digniores ex iis, qui deferunt ha-

haſtas baldachini præcedant ante faciem celebrantis, alii vero poſteriores teneant haſtas. Dignioribus item pares dentur haſtæ, videlicet eæ, quæ ſunt a dextris Celebrantis dum procedit. Hi vero omnes ante altare extra cancellos, ſeu præsbyterium expectent celebrantem, qui dum ab altari deſcendit, interim ſtant omnes genuflexi utroque genu in plano, quum pervenerit celebrans ſub baldachino, ſurgunt, & graviter, ac moderate cum eo incedunt.

XIV. Cantata igitur tertia, ſtatim canitur ſolito more, ſed ſolemniter, miſſa, in qua duæ conſecrantur hoſtiæ.

XV. Sumpta a celebrante utraque ſpecie ſubdiaconus per laterales gradus a cornu epiſtolæ recta deſcendens, ac per eosdem ſimiliter gradus aſcendens affert e credentia oſtenſorium albo velo hinc inde, & in parte ſolum poſteriori coopertum. Celebrans ante purificationem, poſito calice a latere evangelii, ſed non extra corporale, facta genuflexione ſacratiſſimam Hoſtiam reverſam, modo alibi dicto, adaptat in oſtenſorio, quod diaconus ſub throno decenter præpa-

parato ſtatim collocat, interim celebrante purificationem ſumente, & miſſam cum ſolitis genuflexionibus proſequente.

XVI. Abſoluta miſſa, ſi tunc procedendum ſit, facta poſt Evangelium S. Joannis in medio altaris ſuper ſuppedaneum genuflexione, per laterales gradus deſcendit in planum extra cornu epiſtolæ, ibique planeta cum manipulo depoſita (manipulus autem a miniſtris etiam deponitur) album accipit pluviale, diligenter advertens, ne terga Sacramento ullatenus vertat. Accepto pluviali medius inter miniſtros accedit per planum ad medium altaris, ubi cum omnibus facit utroque genu pariter in plano genuflexionem, ſurgit, genuflectit cum miniſtris ſuper infimum altaris gradum, ubi aliquantulum orat. Mox iterum ſurgit, imponit ſine oſculis, & abſque benedictione ter incenſum de more in duobus thuribulis, tum genuflexus facta ante & poſt inclinatione profunda, Sacramentum cum uno ex thuribulis triplici ductu devote incenſat. Poſt thurificationem fiunt omnia ſuperius dicta in verbo *Depoſitio tit. præced.* §. 4.

XVII. Si

XVII. Si tunc procedendum non ſit, dicto *Verbum caro* Celebrans cum miniſtris deſcendens in planum, ibi ante altare in medio utroque genu cum omnibus genuflectit, mox ſurgit, & ad ſacriſtiam redit, caput extra presbyterium tegens. Quum vero tempus procedendi advenerit, revertitur ad altare indutus albo pluviali cum miniſtris more conſueto indutis, ſed abſque manipulis. Præsbyterium ingreſſus caput detegit, accedit ad altare, ubi in medio utroque genu genuflectit in plano cum miniſtris caput inclinans, ſtatimque erigit ſe, & ſuper ſuppedaneum genuflectit aliquantulum orans. Deinde cætera peraguntur, ut dictum eſt ſupra titulo præcedenti *§*. 4. *num.* 17.

XVIII. Reverſus poſt proceſſionem ad Eccleſiam Celebrans, relicto extra cancellos, ſeu presbyterium baldachino, accedit ad infimum altaris gradum, ubi ſtans, omnibus in genua provolutis, porrigit diacono genuflexo Sacramentum. Diaconus ſtatim ſurgit, aſcendit ad altare, in cujus medio ſuper corporale reverenter Sacramentum collocat, mox fa-

cta

ᶜta ibi genuflexione ad ſuum locum deſcendit.

XIX. Tradito in manu diaconi Sacramento Celebrans immediate genufleᶜtit, ac velum humerale deponit ex *Clem. XI.* §. 21. & quia Sacramentum non eſt hic ex alto deferendum, ſed exſtat ſuper altare, idcirco nunc ad verba *Genitori, genitoque*, ex diᶜto Clem. ſurgit, imponit abſque benediᶜtione incenſum, terque Sanᶜtiſſimum genuflexus graviter incenſat. Poſt orationem *Deus qui nobis* genuflexus velum reſumit humerale, ſurgit, aſcendit ad altare, ac de more cum Sanᶜtiſſimo populum benedicit.

XX. Proceſſio SS. Sacramenti conceditur omnibus in quacumque die modis ſuperius enarratis infra ejusdem oᶜtavam ex *Gregor. XIII. an.* 1573.

TI-

# TITULUS DECIMUS TERTIUS

## OCTAVÆ.

I. QUum plurima feſta octavam habentia neceſſario ſint per annum colenda, v. g. dedicationis propriæ eccleſiæ, ejuſque S. Titularis, ruri autem non omnes capiunt verbum iſtud, itaut a pluribus octavæ, vel prorſus omittantur, vel ſaltem ordine admodum perturbato, ac præpoſtero celebrentur, eo quod appoſitæ in Breviario Romano non inveniantur, ratio vero illas ordinandi penitus ignoretur, propterea non inutile opus exiſtimavi, nonnulla magis præcipua ad octavas ſpectantia breviter hic in medium afferre.

II. Octava nihil aliud eſt, quam feſti prorogatio, unde omnes dies octavæ pro una computantur feſtivitate.

III. Significant octavæ æternam animarum, & corporum glorificationem, doctrinæ conſumationem, ac ſolidam virtutis formam. Vide *Auguſtin. lib.* 2. *ſerm.*

*in*

*in mont. cap.* 3. *Hilarium in pſal.* 118. *Clem. Alexan. ſtrom.* 6.

IV. Chriſti Domini feſta non habent octavam, ſiquidem in die Nativitatis octava celebratur Circumciſio, in octava Epiphaniæ baptiſmus: Paſchæ, & Pentecoſtes octavæ complentur in ſabbato: per hoc autem deſignatur perfecta jam, & totalis Chriſti Domini tum quoad animam, tum quoad corpus glorificatio, Sanctorum vero feſta habent octavam, quia ſicut prima dies ſignificat eorum nativitatem, ſcilicet qualiter cœlo, & in Angelorum beatorumque ſocietatem naſcuntur, quando eorum animæ ſeparantur a corpore, ita in octava die corporum reſurrectionem recolentes, eorum futuræ congratulamur glorificationi. Aſcenſio tantum Domini integram habet octavam, in ipſa enim gloria in humanitate ſervatoris noſtri expleta manifeſtatur: quod ni, fallor, debita ſervata proportione poteſt ad B. M. V. octavas referri.

V. Feſtum Dedicationis propriæ Eccleſiæ ſolemniter celebratur cum octava, deſignat enim æternam dedicationem, in

qua

qua eccleſia illa, ideſt anima ſancta, ita Deo dedicabitur, ideſt copulabitur, ut nequeat ad alios uſus etiam quoad corpus ultra transferri, quod erit in octava reſurrectionis. Concurrente feſto S. Joannis Baptiſtæ cum feſto Dedicationis, ſecundæ veſperæ de S. Joanne integræ celebrandæ ſunt cum ſola commemoratione dedicationis S. R. C. 11. *Aug.* 1688. octava item omnium Sanctorum, tamquam dignior, præferenda eſt octavæ dedicationis Eccleſiæ S. R. C. 2. *Mart.* 1695.

VI. Dedicationis feſtum dignius eſt feſto Patroni, ſeu Titularis, non tamen feſtis Domini, quæ ſint primæ claſſis, nec feriis privilegiatis, quæ nulli cedunt.

VII. Dedicatio propriæ Eccleſiæ præcedit cathedralis eccleſiæ dedicationi, quæ debet transferri.

VIII. Cathedralis Eccleſiæ dedicationis feſtum etiam a regularibus celebrandum eſt, ſed abſque octava, & ſub ritu duplicis ſecundæ claſſis, commemoratio vero illius octavæ fit ſolum in civitate ab omnibus clericis ſecularibus S. R. C. 2. *Maii* 1619.

IX. Pa-

IX. Patronus loci, & titularis eccleſiæ habet officium cum octava. Patronus loci olim magis ex uſu, ac traditione colebatur ut talis, quam ex electione; hodie vero, juſſu *Urbani VIII.* 23. *Mart.* 1630. electio patroni variis facienda eſt conditionibus a nobis in noſtra *Solicitud. Paſtoral. part.* 3. *in princ. n.* 5. *relatis*. Unus tantum debet eſſe principalior, cæteri minus principales. Minus principales ſub ritu duplicis majoris celebrandi ſunt, magis principalis ſub ritu duplicis primæ claſſis.

X. Si feſtum Sancti patroni, ſeu titularis incidat in aliquod feſtum ſecundæ claſſis poſt diem Nativitatis D.N. J.C., fit ut infra in officio dedicationis tunc occurrente.

XI. Feſtum SS. Innocentium ſi titulus eccleſiæ ſit, non vero altaris, non violaceo ſed rubeo gaudet colore, additis *Gloria*, *Alleluja*, *Ite miſſa eſt*; eccleſiæ namque titulus eſt primæ claſſis, & maxime feſtivus.

XII. Omnes clerici tam ſeculares, quam regulares tenentur celebrare feſtum patroni loci, & titularis eccleſiæ cathedralis ſub ritu duplicis primæ claſſis; ſeculares quidem cum octava, regu-

lares vero ſub eodem ritu ſine octava S. R. C. 27. *Mart.* 1687.

XIII. Novæ octavæ nequeunt abſque S. Pontificis auctoritate induci, & in errore verſantur qui putant abſque Sedis Apoſtolicæ facultate poſſe octavas canonizationis, ac beatificationis Sanctorum celebrari *Biſſ. lit. F.* 69. Item *Gavantus*.

XIV. A fer. IV. Cinerum uſque ad octavam Dominicam in Albis incluſive non fit de ullis octavis abſque peculiari privilegio. Item nec a vigilia Pentecoſtes incluſive uſque ad totam dominicam ſubſequentem, nam fer. VI. poſt Aſcenſionis octavam, dicta nona, terminantur octavæ nondum completæ, ac deinceps non fit de aliis octavis uſque ad dominicam SS. Trinitatis incluſive..

XV. In adventu fieri poteſt de octavis uſque ad diem 17. *Decemb.* ſiquidem die 16. *Decemb.* poſt nonam ceſſant octavæ, nec de iis fit uſque poſt totam octavam Epiphaniæ. Prædictis autem temporibus ita ceſſant octavæ, ut ne ipſa quidem fiat earum commemoratio.

XVI. Adveniente itaque die, in qua locum amplius octava non habet, hoc mo-

modo ipſa terminanda eſt. Vel enim ante feriam IV. Cinerum, vigiliam Pentecoſtes, aut diem 17. *Decemb.* eſt dies octava, & tunc die præcedenti agendum eſt de octava uſque ad completorium incluſive, vel eſt dies infra octavam etiam in caſu, quo dies octava incidat in ſequentem diem, tunc autem quidquid in contrarium nonnulli ſenſerint, verius eſt, non poſſe in primis veſperis nec commemorationem fieri de octava. Nec obſtat, quod officium feriarum incipiat a matutinis, quia abſurdum eſt in veſperis fieri de officio in ſequenti die currente, de quo tamen die ſequenti ne commemoratio quidem fieri poteſt, nonne monſtrum eſſet, caput referens abſque corpore? Præterquamquod clara eſt rubrica, videlicet, ut terminata nona, terminentur octavæ.

XVII. Si feſtum SS. Nominis B. M. V. incidat in octavam ejuſdem Nativitatis, ceſſat octava, fitque de feſto SS. Nominis abſque octavæ commemoratione. In ſecundis autem veſperis fit de Cruce cum commemoratione SS. Nominis abſque octavæ commemoratione.

 XVIII. De-

XVIII. Dedicatio propriæ Eccleſiæ ſi incidat in feſtis poſt Natalem Domini, de ipſa fit, & in officio nullà facienda eſt octavarum commemoratio, excepta Natalis Domini commemoratione. Præterea antiphonæ, & pſalmi ſunt in utriſque veſperis ſemper de Nativitate; quare dedicationis officium incipiet a capitulo tam in primis, quam in ſecundis veſperis. Quod ſi occurrat die S. Silveſtri 31. *Decemb.* in primis veſperis fit de Nativitate Domini, a capitulo autem de dedicatione cum commemoratione Nativitatis tantum. Officium & miſſa dicitur de dedicatione cum commemoratione Nativitatis tantum. In ſecundis veſperis pariter de ipſa fit dedicatione cum commemoratione Circumciſionis, nec deinceps fit amplius de dedicatione. Exemplum habemus in inſigni noſtra Baſilica S. Mariæ Humilitatis.

XIX. Si feſtum ſit infra ipſam octavam ſuam transferendum, de diebus infra octavam omiſſis nulla fit commemoratio: quod ſi dictum feſtum transferatur in ejusdem octavam, ſeu poſt totam octa-

octavam, tunc eo anno feſtum illud abſque octava celebratur.

XX. Infra octavas fit de duplicibus, & ſemiduplicibus occurrentibus. Duplicia translata locum habent infra octavas, etiamſi ante octavam occurriſſent S. R. C. 14. *Februar.* 1680. Si vero feſtum aliquod duplex infra octavam occurrens alio majori feſto duplici impediatur, infra octavam transfertur in primam diem ſancto duplici, vel ſemiduplici occurrente non impeditam, & fit in eo commemoratio octavæ. Semiduplicia vero tantum locum habent, ſi transferantur in diem proxime immediate ſequentem, alias transferuntur poſt octavam. Quare ſi ſemiduplex occurrat in ipſo feſto octavam habente, vel in dominica infra octavam, tunc ſemiduplex illud transfertur in diem immediate ſequentem; in eccleſiis enim particularibus ſæpius contingit ſemiduplex occurrere in feſto majori, quod habet octavam, unde de dicto ſemiduplici fit in ſecunda die infra octavam non impedita. Idem juris eſt, quando in feſto Aſcenſionis Domini occurrit aliquod ſemiduplex, quod in diem proxime ſequentem transfertur,

ſi non ſit impedita alio feſto duplici, vel etiam ſemiduplici diei illi aſſignato. Cæterum ſemiduplicia ante octavam occurrentia debent abſque dubio poſt octavam transferri. De ſanctis ad libitum occurrentibus non fit infra octavas. De ſimplicibus regulariter fit commemoratio, & nona legitur lectio. Si dominica occurrat infra octavas, fit de dominica, ut in pſalterio, & proprio de tempore cum commemoratione octavæ. In dominicis vero infra octavas Nativitatis, Epiphaniæ, Aſcenſionis, & Corporis Domini fit ſicut infra eorum octavas. Fer. VI. poſt Aſcenſionis octavam fit de feſtis etiam translatis, licet ſemiduplicibus, non autem in ſabbato ſequenti.

XXI. Duplici infra octavas occurrente, fiunt omnia de duplici cum octavæ commemoratione, niſi fuerit duplex primæ claſſis, in quo non fit octavæ commemoratio.

XXII. Semiduplici cum die infra octavam concurrente, fit a capitulo de octava cum commemoratione præcedentis, niſi aliter notetur.

XXIII. Dominica cum die infra octavam

vam concurrente, omnia fiunt de dominica cum commemoratione octavæ; die vero infra octavam concurrente cum ſequenti dominica, vel ſemiduplici, fit a capitulo de dominica, vel ſemiduplici cum commemoratione octavæ.

XXIV. Officium infra octavas fit ſemiduplex, & omnia dicuntur, ut in die feſti, exceptis lectionibus.

XXV. Lectiones primi nocturni in die feſti, niſi adſint propriæ, leguntur de communi, quod & in feſtis duplicibus majoribus ſervatur, etiamſi ponendum, ſeu reſumendum eſſet aliquod ſcripturæ initium, quod in proxime ſequentem diem non impeditam transfertur.

XXVI. Infra octavas lectiones primi nocturni regulariter leguntur de ſcriptura occurrente; quod ſi tunc incidant feriæ quatuor temporum, ſeu feria ſecunda Rogationum, vel Aſcenſionis vigilia, lectiones primi nocturni ſumantur ex communi; In die tamen octava dedicationis ſemper ſunt repetendæ lectiones in primo nocturno, quæ jam lectæ fuerunt in primo nocturno hujus feſti S. R. C. 5. *Maii* 1736.

XXVII. Secundi, ac tertii nocturni

lectiones infra octavas leguntur propriæ, ſi habeantur, ſin minus ex octavario romano deſumantur.

XXVIII. Reſponſoria brevia, quæ ponuntur in feſto octavam habente, per totam dicuntur octavam, quando fit de ea, niſi aliter notetur, ut infra octavam Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli.

XXIX. Hymnus *Te Deum* dicitur in omnibus feſtis, ac per illorum octavas.

XXX. Oratio dicitur infra octavas, ut in die feſti, ſimiliter & in die octava, niſi propria aſſignetur, ut in octava SS. Petri, & Pauli, Stephani protomartyris, S. Laurentii.

XXXI. Suffragia conſueta de ſanctis non dicuntur infra octavas, quemadmodum nec preces ad primam, & completorium, quamvis fiat officium de dominica, ſeu de feſto ſemiduplici.

XXXII. Symbolum S. Athanaſii dicitur in dominicis infra octavas occurrentibus, præter quam in dominicis infra octavas Nativitatis, Epiphaniæ, Aſcenſionis, & Corporis Domini.

XXXIII. Si occurrat infra octavas aliqua vigilia, miſſa etiam privata dicitur

de

de vigilia, licet officium dictum ſit de octava: excipe tamen octavam Corporis Domini, in qua dicitur miſſa de octava cum commemoratione vigiliæ. In quatuor autem temporibus, & feria ſecunda Rogationum dicitur miſſa feriæ cum commemoratione octavæ.

XXXIV. Cæterum infra octavas miſſa dicitur de feſto, niſi aliter notetur, ut infra octavam SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli.

XXXV. In miſſa infra octavas ſecunda oratio erit de B. M. V., videtur autem, ut in Adventu hæc oratio ſit *Deus qui B. M. V.*, a Nativitate Domini uſque ad Purificationem *Deus qui ſalutis*; reliquo anni tempore *Concede*, ut ſcilicet dicatur oratio, quæ tempori congruit. Si occurrat ſanctus ſimplex, ſecunda oratio dicitur de ipſo, tertia de B. M. V. alias tertia *Eccleſiæ*, vel pro Papa. In dominica vero infra octavas duæ tantum dicuntur orationes, una de dominica, ſecunda de octava, tertia omittitur ad majorem ſolemnitatem.

XXXVI. Præfatio infra octavas dicitur ipſarum propria, ſed in feriis privile-

legiatis infra octavas occurrentibus dicitur præfatio communis de tempore: hinc in majoribus, & minoribus litaniis dicitur præfatio ferialis tempore paſchali. In quatuor temporibus infra octavas B. M. V. occurrentibus, in miſſa de feria dicitur præfatio ferialis communis, quod etiam ſervatur in vigiliis S. Joannis Baptiſtæ, & SS. Petri, & Pauli infra octavam Corporis Domini occurrentibus S. R. C. 12. *Decemb.* 1626.

XXXVII. Quando feſtum SS. Apoſtolorum Philippi, & Jacobi, ſicut etiam feſtum inventionis S. Crucis, occurrant infra octavam Aſcenſionis, tunc dicitur præfatio feſti occurrentis, *Communicantes* vero de octava, quamvis de octava non fiat commemoratio S. R. C. 28. *Aug.* 1627.

XXXVIII. In veſperis infra octavas dicuntur pſalmi, antiphonæ, & verſiculi, ut in ſecundis veſperis feſti, ſed in primis veſperis diei octavæ dicuntur, ut in primis veſperis feſti: hæc autem omnia intellige, niſi aliter notetur.

XXXIX. Additur regulariter ſemper infra octavas ipſarum commemoratio,

non

non autem homilia, niſi in die octava occurrat aliquod feſtum primæ, vel ſecundæ claſſis, tunc enim legenda eſt pro nona lectione homilia octavæ, ſi proprium habeat Evangelium, non autem quando in die octava idem legitur Evangelium, quod lectum fuit in die feſti. Quod ſi dicta die occurrat dominica, tunc legenda eſt homilia dominicæ, quæ numquam omittitur, non autem octavæ, quamvis habeat Evangelium a die feſto diverſum, ut in octava SS. Petri, & Pauli.

XXXX. In concurrentia alterius octavæ facienda eſt octavæ commemoratio, nam de octava digniori fit officium, de altera commemoratio. Quæ octava dicatur dignior, patebit ex infra dicendis.

XXXXI. Omittitur totaliter octavæ commemoratio occurrente feſto duplici primæ, vel ſecundæ claſſis, cum hac tamen differentia, quod in ſecundis veſperis duplicis ſecundæ claſſis, non autem primæ, fit commemoratio de die infra octavam, ſi poſtridie de ipſa die infra octavam faciendum ſit officium, ſecus omittitur.

XXXXII. Ex-

XXXXII. Excipe octavas Nativitatis, Epiphaniæ, & Corporis Domini, de quibus ſemper fit commemoratio in veſperis, laudibus, & miſſa quocumque feſto infra ipſas occurrente, etiam primæ claſſis. Hoc tamen non extenditur ad octavas patroni loci, tituli, ſeu dedicationis Eccleſiæ.

XXXXIII. De die octava facienda eſt commemoratio etiam in duplicibus primæ claſſis.

XXXXIV. Dies octava fit duplex, nec umquam transfertur, ſed ejus officium faciendum eſt omnino in propria, qua cadit, die. Excipe niſi dies octava ſit ab alio ſolemniori feſto impedita, tunc enim fit de ſolemniori cum commemoratione diei octavæ. Officia autem primæ, vel ſecundæ claſſis impediunt tantum officium, non autem commemorationem diei octavæ, non vero duplicia feſta per annum ſive minora, ſive majora, quæ ſunt omnino transferenda.

XXXXV. Quatuor tamen ſunt dies octavæ privilegiatæ, in quibus ſi occurrat feſtum duplex etiam primæ claſſis, transfertur, & officium fit de die octa-

va:

va: iſtæ ſunt autem dies, octava Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paſchæ, & Pentecoſtes. Verum proprie loquendo, non ſunt iſtæ dies vere octavæ, quas prædicta feſta non habent, ſed tantum dicendæ ſunt dies ſpecialiter privilegiatæ.

XXXXVI. In octava Corporis Domini non poteſt fieri, niſi de duplici primæ claſſis, excluſis translatis, aliiſque duplicibus etiam ſecundæ claſſis.

XXXXVII. Quod ſi in die octava occurrat feſtum duplex per annum tantum, ſed de præcepto in foro exteriori, debet de octava fieri, dictum vero feſtum eſt transferendum. Limita in civitate Regienſi, quæ peculiari gaudet privilegio.

XXXXVIII. Dies octava cedit etiam dominicis privilegiatis, quæ ſint primæ, vel ſecundæ claſſis, in quibus officium fit de dominica privilegiata cum commemoratione octavæ in primis etiam veſperis, quæ pariter ſunt de dominica prædicta, & tunc in veſperis dicuntur pſalmi, & antiphonæ de ſabbato, a capitulo fit de dominica privilegiata, addita octavæ commemoratione, omiſſis tamen ratione

octa-

octavæ precibus ad primam, & completorium, ſicut etiam communibus ſanctorum ſuffragiis ad veſperas, & laudes S. R. C. 19. *Novemb.* 1622. In ſecundis veſperis officium fit de dicta dominica cum commemoratione octavæ. Quod ſi ſecundæ veſperæ dominicæ privilegiatæ concurrant cum ſequenti duplici, tunc veſperæ erunt de duplici cum commemoratione prius dominicæ, de qua factum eſt officium, poſtea octavæ: ſi vero concurrant cum ſemiduplici, tunc veſperæ erunt de dominica cum commemoratione prius de die octava, poſtea de ſemiduplici ſequenti. Occurrente autem in ſabbato præcedenti dictam dominicam privilegiatam feſto ſemiduplici, in veſperis dicuntur antiphonæ, & pſalmi ejuſdem feſti ſemiduplicis; capitulum erit de dominica privilegiata, deinde commemoratio prius de ſemiduplici, de quo factum eſt officium, poſtea de die octava, quæ in tota ſequente dominica nihil habet, niſi meram commemorationem. De cæteris dominicis per annum occurrentibus in die octava fit tantum com-

commemoratio in utriſque veſperis, laudibus, & miſſa.

XXXXIX. In dominicis privilegiatis in die octavæ occurrentibus, duæ etiam tantum dicuntur orationes, omiſſa tertia, quarum prima erit de dominica, ſecunda de die octava.

L. Si dies octava concurrat cum feſto primæ claſſis, in hujus veſperis nulla fit commemoratio de die octava, fit autem de ea commemoratio in primis veſperis duplicium ſecundæ claſſis poſtridie occurrentium.

LI. Quando plures octavæ ſimul occurrant, v. g. S. Joannis Baptiſtæ, octava Corporis Domini, vel octava patroni cum alia octava, tunc officium fit de digniori, cum commemoratione minus dignæ. Illa vero cenſetur dignior cujus feſtum ſuperioris eſt claſſis, unde octava v. g. S. Laurentii cedit octavæ S. Claræ in eccleſia S. Claræ. In eadem autem claſſe attendenda eſt dignitas perſonæ juxta litaniarum ordinem. Cæteris paribus illa octava cenſenda eſt dignior, quæ eſt univerſalior, ideſt, quæ latius extenditur, & ab univerſali celebratur Eccleſia.

LII. De-

LII. Dedicationis octava dignior eſt alia octava etiam patroni, ſeu titularis. Verum non eſt a legitima conſuetudine communiter recepta in hoc recedendum.

LIII. Octava Aſſumptionis B. M. V. dignior eſt dedicationis octava, quia majora beneficia contulit Deus uni Deiparæ in ejus aſſumptione, quam toti militanti Eccleſiæ contulerit.

LIV. Quoniam vero ratione feſtorum octavas habentium, ſæpe ſæpius nonnulla feſta ſunt transferenda, idcirco abs re non erit, aliquid de feſtorum translatione deguſtare. Sciendum eſt igitur, quod omnia feſta, etiam primæ claſſis, occurrentia in dominicis primæ claſſis, transferuntur in primam diem alio feſto novem lectionum non impeditam.

LV. Si duo, ſeu plura feſta novem lectionum ſimul eodem occurrant die, fit officium de majori, ideſt de duplici, ſemiduplicia vero transferuntur. At ſi omnia fuerint duplicia, vel omnia ſemiduplicia, fiat de ſolemniori, & quæ minoris ſunt ſolemnitatis transferantur.

LVI. Ubi plura feſta novem lectionum transferenda ſint, prius transfertur du-

duplex, quam ſemiduplex, etiamſi ſemiduplex antea præceſſerit, quod & inter plura duplicia ſervandum eſt, nempe quod eſt magis ſolemne ſemper prius transferatur, priuſque celebretur: alioquin ſi ſint æqualia unum ante aliud eo transferatur ordine, quo erant in propriis diebus celebranda.

LVII. Duplicia translata locum non habent, quando in aliqua feria extra diem dominicam faciendum eſt officium de dominicà infra octavam Nativitatis Domini, vel Epiphaniæ; hujuſmodi enim officium ſemper eſt dominicale, quamvis non fiat de dominica.

LVIII. Simplicia numquam transferuntur, quare ſi de iis fieri nequeat officium, fit commemoratio; ſi vero occurrant in duplici primæ claſſis eo anno prorſus omittuntur. In duplicibus ſecundæ claſſis fit commemoratio in laudibus, & in miſſis privatis tantum cum nona lectione.

LIX. Feſta ad libitum nullatenus transferuntur S. R. C. 24. *Januar.* 1682. ea tamen die, in qua occurrit Sanctus ali-

quis ad libitum, non transfertur feſtum præteritum præcedens.

LX. Dies octava numquam transfertur, ſed ſi impediatur aliquo feſto ex ſolemnioribus, aut aliqua dominica privilegiata, fit eo anno de illa tantum commemoratio in utriſque veſperis, laudibus, & miſſa.

LXI. In Epiphaniæ vigilia fit ſolum de duplicibus occurrentibus, atque adeo excludit omne feſtum ſemiduplex, duplex translatum, dominicam, & miſſam votivam privatam, ſicut etiam defunctorum ſolemnis, niſi fuerit dies obitus, aut depoſitionis.

LXII. Infra octavam Epiphaniæ fit tantum de patrono, titulari eccleſiæ, & dedicatione ejusdem, addita ſemper octavæ commemoratione.

LXIII. In die Epiphaniæ octava de nullo omnino feſto fit, quamvis patrono, titulari, dedicatione eccleſiæ, quia in ea celebratur baptiſmus Chriſti Domini, cui cedere patronus debet, uti Domino ſervus. Dies octava Epiphaniæ ſi occurrat in dominica, quæ cenſetur dominica infra octavam, in ea nihil fit de domi-

minica, quia tunc officium dominicæ fit in præcedenti ſabbato: quod ſi in ſabbato præcedenti, in quo faciendum eſſet officium de dominica infra octavam Epiphaniæ, occurrat feſtum primæ claſſis, de alio namque fieri non poteſt, tunc officium dominicæ infra octavam nequaquam eſt anticipandum, ut multi ſunt opinati, ſed ſufficit tunc de dominica infra octavam fieri in ſabbato commemorationem. Infra octavam, ſicut etiam in die octava Epiphaniæ in tertio nocturno loco antiphonæ *Venite adoremus*, & pſalmi *Venite exultemus*, dicitur antiphona *Homo natus eſt*, & pſalmus *Fundamenta ejus*.

LXIV. Infra octavas Paſchatis, & Pentecoſtes fieri non poteſt de duplici etiam occurrente, neque de patrono, titulari, dedicatione eccleſiæ, ſed quæcumque feſta, etiam ſolemniſſima, in iis occurrentia transferuntur poſt octavam. De ſimplici tunc occurrente, in feria ſecunda, & tertia nihil omnino fit, in reliquis autem feriis fit tantum commemoratio, ſed abſque lectione; quare ſi infra dictas octavas aliqua facienda ſit commemora-

 tio,

tio, tunc omittitur in miſſa oratio *Eccleſiæ*, vel pro Papa, ne tres dicantur orationes contra ſenſum miſſalis. Infra prædictas octavas cantari poteſt miſſa votiva ſolemnis ob concurſum populi propter ſolemnitatem ſine ulla commemoratione, cum *Gloria*, *Credo*, præfatio *Communicantes*, & *Hanc igitur* de octava. Excipe tamen feriam ſecundam, & tertiam, in quibus non poteſt prædicta miſſa cantari.

LXV. De octava Nativitatis, Epiphaniæ, & Corporis Domini quotidie fit commemoratio, quocumque vel ſolemniſſimo feſto occurrente.

LXVI. In primis veſperis Corporis Domini fit commemoratio de duplici primæ claſſis præcedenti.

LXVII. Si vigilia S. Joannis venerit infra octavam Corporis Domini, fit de octava cum nona lectione de vigilia, ejusdemque commemoratione in laudibus, & in miſſa, in qua dicitur in fine Evangelium vigiliæ. Quodſi vigilia prædicta venerit in ipſo Corporis Domini feſto, jejunium fit die antecedenti ex Leone X., & Urbano VIII., ſed in of-

ficio

ficio nihil ſit de ea, in ſecundis autem veſperis Corporis Domini fit tantum commemoratio S. Joannis.

LXVIII. Infra octavam Corporis Domini fit ſolum de duplicibus occurrentibus, non autem translatis; excipe duplicia primæ, & ſecundæ claſſis, ea enim poſſunt infra hanc octavam transferri. Semiduplicia, ſi occurrant, transferantur poſt octavam ex decreto Joannis 22. Dici nequeunt miſſæ votivæ privatæ, nec defunctorum, niſi una tantum ſolemnis præſente corpore S. R. C. 16. *Septemb.* 1706. anniverſaria mortuorum infra hanc octavam non ſunt facienda S. R. C. 12. *Septemb.* 1671. Poſſunt tamen dici miſſæ votivæ ſolemnes pro re gravi. De Sancti ſimplici fit tantum commemoratio, non autem de eo legitur nona lectio, niſi quando occurrat officium duplex de alio ſancto etiam translato, ſcilicet ſecundæ claſſis.

LXIX. Dies octava Corporis Domini, excludit feſta duplicia ſecundæ claſſis occurrentia; fit tamen in ea de duplicibus primæ claſſis occurrentibus; unde ſi nativitas S. Joannis venerit in dicta die

octava, ſit de Nativitate cum commemoratione octavæ, ex Joanne 22. Idem die ſi occurrat feſtum principalis patroni, titularis eccleſiæ, eoque magis dedicationis ejusdem, quum ſint primæ claſſis.

LXX. Ubi celebratur octava SS. Trinitatis, ſymbolum S. Athanaſii non dicitur quotidie, quia videtur dominicæ aſſignatum; quare & in die octava dicendum erit, quod aliàs minime diceretur.

LXXI. In dominicis infra quaslibet octavas paramenta coloris octavæ ſunt adhibenda, licet miſſa ſit de dominica, præter quam in illis dominicis, quibus tributus eſt color violaceus, uti habetur in *Rubr. miſſ. tit.* 18.

LXXII. Quæcumque dies octava æque ac prima, non eamdem quidem claſſem, ſed eumdem ritum habet.

Nemini licet facere octavas pro defunctis abſque ſpeciali indulto Sedis Apoſtolicæ, neque intuitu alicujus altaris privilegiati in aliqua Eccleſia licet exponere tabellam ſuper januam ipſius eccleſiæ cum inſcriptione *Indul-*

*gen-*

*genza per i morti*, ſed tantum ſuper ipſo altari privilegiato conſuetis verbis. *Altare privilegiatum pro defunctis*, S. R. C. 13. *Aug.* 1667.

# TITULUS DECIMUS QUARTUS

## RITUS INSERVIENDI MISSÆ PRIVATÆ.

I. TAnta eſt inſervientium miſſæ dignitas, ut ii publicam totius populi catholici perſonam gerant, immo angelicum exequi miniſterium dicantur. Certo S. Thomas, Angelicus vere Doctor, nullum umquam præterire diem patiebatur, quin alicui ſacro aſſiſtendo inſerviret. Hinc, ex peculiari Venerab. Patrum Congregationis Oratorii inſtituto, unuſquiſque illorum Sacerdoti ſacrum facienti quotidie miniſtrat. Immo ipſimet ſancti Angeli quandoque viſibiliter ſacroſancto miſſæ ſacrificio inſervierunt. *Biſſ. lit. M.* 162. *in fin.*

II. Porro inæſtimabiles ſunt fructus qui ex tanto miniſterio percipiuntur, itaut inſervientes miſſæ de fructu ſacrificii quoad partem etiam ſpecialiſſimam participent *Biſſ. lit. S. n.* 177.

III. Quare indignum ſane dignitati,

ac

ac ſanctitati divini ſacrificii videtur, ut rudis, vilis, ſordidus homuncio, quid? Incapax, impiger, petulans puer, qui totus ludricis intentus neſcit quid agat, abſtractus mutilat verba, vel nihil reſpondet, vel circa altare ludens ſacrificantem conturbat, ſublimi hujuſmodi miniſterio operam navet.

IV. Quoniam vero ruri ut plurimum neceſſitas cogit talibus uti miniſtris, idcirco pius, ac ſedulus Parochus meliori, quo datur, modo totus erit in erudiendis a teneris, ut ajunt unguiculis, ſubditis ſuis, ut in hoc tanti momenti negotio, quantum fieri poteſt, dignius ſe gerant. Cæterum male pronuntians, ac imperite agens miniſter ſufficit.

V. Miniſter itaque decenter indutus, & calceatus, dum Sacerdos ad paramenta accedit, ad celebrantis ſiniſtram ſe ſtatuat, itaut paramenta ſint quodammodo media celebrantem inter, ac miniſtrum.

VI. Accipiens amictum per cordulas, ejus Crucem non in medio, ſed a latere oſculatur, aut ſaltem oſculari demonſtrat, & ambabus manibus porrigit oſcu-

lan-

landam Sacerdoti, diligenter advertens, ut amicti pars, quæ vulgo dicitur *il roveſcio* ad collum celebrantis ſubſit, altera vero, quæ *il diritto* vocatur, ſuperſtet. Si amictus humerorum excedat latitudinem, apte reſtringatur a miniſtro.

VII. Albam ambabus pariter manibus complicatam, præter eam partem, quæ collum immediate circumdat, capiti celebrantis imponat, deinde elevet dexteram manicam, poſtea ſiniſtram, eaſque in majus Celebrantis commodum extendat.

VIII. Cingulum a tergo porrigens exhibeat a dextera Celebrantis parte extremitates ejusdem cinguli complicati, niſi adſint in ipſius medio cordulæ, tunc enim eas hinc inde Sacerdoti miniſtret. Mox elevet undequaque albam ſupra cingulum, ut ipſa honeſte dependeat, ac veſtes tegat, ejus fimbrias diligenter adæquans, ut ad latitudinem digiti ſuper terram æqualiter fluant.

IX. Manipuli Crucem oſculatur, ut Crucem amicti, eamque porrigit Sacerdoti oſculandam.

X. Sto-

X. Stolam ambabus accipiens manibus ſimili modo oſculatur a latere, & miniſtrat oſculandam.

XI. Planetam duplici complicat plicatura, eamque ſic capiti Celebranti ſubmittit, & circa humeros, collumque illius eleganter accomodat. Planeta pretioſior neutiquam plicetur, ſed in extenſum aſſumpta porrigatur.

XII. Biretum per interius accipiens cornu, quaſi cum oſculo illius porrigit Celebranti, itaut celebrans valeat illud aſſumere in cornu exteriori medio per digitos indicem, & medium, angulo ſeu cornu depreſſo ſuper aurem ſiniſtram veniente.

XIII. Miſſale ambabus manibus in inferioribus angulis erectum deferat ante pectus, aut declinet illud ad latus ſuum ſiniſtrum, & brachio, manuque ſiniſtra ſuſtentet, accedente dextera.

XIV. Antequam exeat e ſacriſtia Cruci profunde caput inclinet, & ad januam quaſi genuflexus ante Celebrantem, aqua benedicta ab eodem aſperſus, graviter ad altare, modeſteque procedat, tribus,

aut

aut quatuor paſſibus ante celebrantem incedens.

XV. Tranſiens ante SS. Sacramentum in tabernaculo incluſum unico genu a ſiniſtro Sacerdotis latere, paulo poſt ipſum, ſtans genuflectat. Si vero Sanctiſſimum ſit expoſitum, utraque flectat genua, & profundam faciat inclinationem; idemque præſtet, ſi tranſeat ante altare, in quo Sanctiſſimum elevetur, nec antea ſurgat, quam ſit abſoluta calicis elevatio, tunc autem procumbit in genua, ubi invenitur, & e manu Celebrantis accipit biretum, illico ab elevatione eidem reſtituendum.

XVI. Quum ad altare pervenerit, in quo celebranda eſt miſſa, ſi inveniatur a parte epiſtolæ, paululum retrocedat, faciens Celebranti prætereundi copiam; ſi ab evangelii parte, tunc facta in medio altaris genuflexione (miniſter enim quotieſcumque tranſit ante medium, unico genu ſemper genuflectit ratione Crucis ibi poſitæ) procedat ad cornu epiſtolæ, ſiſtens ad celebrantis dexteram, ſed aliquantulum retro. Ibi a Sacerdote accipit biretum cum quaſi oſculo illius, non

ſu-

ſupra miſſale, ſed manu ſua dextera; quod ad minimum ſiniſtræ manus digitum appendit, & dum celebrans Cruci ſe profunde inclinat, ipſe in plano unicum flectat genu.

XVII. Poſt, non vero ante Sacerdotem hoc aſcendat modo ad altare, ſcilicet deambulans per planum ad lateralem epiſtolæ partem deponit biretum in congruo loco, ſed omnino extra altare; poſtmodum per idem epiſtolæ cornu aſcendit, & miſſale clauſum ita ſuper cuſſinum collocat in ipſo cornu epiſtolæ, ut inferior pars altare tangat, ſuperior cuſſino adhæreat, pars autem, quæ aperitur, altaris medium reſpiciat. Eſt igitur miſſale non a miniſtro, ſed a Sacerdote privatis in miſſis aperiendum, nec myſterium deeſt; Sacerdos enim repræſentat agnum aperientem librum. *Apocal.* 5. 8. *ex Innocent. III.*

XVIII. Miſſali depoſito per eosdem laterales gradus cornu epiſtolæ deſcendit in planum, inde per planum accedit, facta in medio genuflexione, ad evangelii cornu, ubi aliquantulum poſt celebrantem genuflectit in plano. Aſſiſtit

au-

autem ſemper junctis ante pectus manibus, extenſis, junctiſque digitis, pollice dextero ſuper ſiniſtrum in Crucis modum poſito.

XIX. Dum Sacerdos format Crucis ſignum, caput, ſeque inclinat, miniſter quoque in tota miſſa ſignat ſe, caput, ſeque inclinat, exceptis inclinationibus, quas junctis ſuper altare manibus facit Sacerdos, cujus etiam voci miniſter vocem ſuam conformat.

XX. Ad *Miſereatur tui* ſe vertit aliquantulum Sacerdoti in reverentiæ ſignum.

XXI. *Confiteor* dicit integrum more Sacerdotis, & ſtat cum profunda medii corporis inclinatione uſque ad totum *Miſereatur veſtri*, donec reſponderit *Amen*. Ad verba *Tibi pater*, *Te pater* aliquantulum ad Celebrantem ſe convertit. Dum pronuntiat *Mea culpa*, ſiniſtra pectori admota, dexteræ digitis extenſis, ſimul junctis, & clauſis ter percutit ſibi pectus modeſte, non cum ſtrepitu.

XXII. Ad *Deus tu converſus* mediocriter ſe cum Sacerdote inclinat.

XXIII. Dum Sacerdos, abſoluta confeſ-

feſſione, ad altare aſcendit, miniſter manu dextera anteriores veſtimentorum Celebrantis fimbrias aliquantulum elevat, etiamſi nonnulli negent id ſimplici Sacerdoti præſtandum. Mox e plano, ubi erat genuflexus, ſurgens, ſuper infimum altaris gradum, numquam vero ſuper pradellam, genuflectit.

XXIV. Ad introitum ſe ſignat, ad ℣. *Gloria Patri* caput inclinat.

XXV. Ad *Kyrie eleiſon* ita reſpondet, ut ſemel *Kyrie*, bis *Chriſte*, ſemel iterum *Kyrie* alternatim cum Celebrante diſtincte pronuntiet. Inſerviens miſſæ cantatæ ſine ſacris miniſtris dicit *Kyrie* cum Sacerdote prope cornu epiſtolæ.

XXVI. In fine hymni angelici, ſicut in fine ſymboli ſignat ſe cum Sacerdote.

XXVII. Ad *Dominus vobiſcum* inclinat aliquantulum caput in ſuæ reverentiæ ſignum erga Sacerdotalem ſalutationem.

XXVIII. Ad *Flectamus genua* reſpondet *Levate*, poſt prophetias vero *Deo gratias*, exceptis lectionibus fer. VI. in Paraſceve, ſabbati ſancti, & quinta prophetia in ſingulis ſabbatis quatuor anni temporum, quibus non reſpondetur *Deo*

*gra-*

*gratias*, ne interrumpatur textus, & ſenſus; qua ratione videtur omittendum *Deo gratias* in prophetiis ſabbati poſt Pentecoſtem, poſt quas dicitur tractus, ſaltem poſt ſecundam, & tertiam.

XXIX. Dum dicitur tractus, aut ſequentia erigit ſe, & ambulans per planum verſus cornu epiſtolæ genuflectit in medio, & per anteriorem, ſeu per lateralem epiſtolæ partem aſcendit ad altare, unde accipit miſſale, quod claudit, ſiniſtro pollice interjecto inter folia, in quibus deſcribitur Evangelium legendum; accipit autem una cum cuſſino manu dextera ſub illum poſita. Ubi non ſit deferendus cuſſinus, deferat ante pectus librum, dextera manu tenens in medio partem libri, quæ non aperitur, ſiniſtro pollice ut ſupra inter folia interjecto. Librum tamen non accipit, niſi poſtquam Sacerdos a cornu epiſtolæ diſceſſerit. Numquam altari innitatur, nec manus ſuper imponat, nec ad illud accedat, niſi neceſſitate cogente, & tunc ſtatim recedat. In acceſſu, vel receſſu numquam terga ad altare vertat.

XXX. Dum defert miſſale ex una ad al-

alteram altaris partem, ſemper in planum deſcendat; tranſiens autem per medium ſemper item genuflectat in plano, miſſale vero ſic locet in cornu evangelii, ut poſterior miſſalis pars medium altaris reſpiciat.

XXXI. Depoſito ſuper altare libro, deſcendat per laterales gradus in planum pariter laterale Evangelii, ubi verſus ad altare conſiſtat, donec reſponderit *Gloria tibi Domine*, formans interim ſignum Crucis una cum Sacerdote in fronte, ore, pectore, dum ille pronuntiat *Initium*, vel *Sequentia S. Evangelii*. Poſtea recipiat ſe, facta prius in medio genuflexione, ante infimum epiſtolæ gradum, ubi verſa ad latus evangelii facie, ſtat junctis manibus quouſque reſponderit *Laus tibi Chriſte*. Tum ſi dicendum ſit *Credo* genuflectit ſuper infimum gradum ante altare in cornu epiſtolæ. Ad vocem *Deum*, *Jeſum*, *Maria* caput inclinat, & ad *Homo factus eſt*.

XXXII. Si non ſit dicendum *Credo*, lecto Evangelio, facit ubi ſtat, mediocrem capitis inclinationem altari, niſi adſit Sanctiſſimum in tabernaculo incluſum,

ſum, tunc enim genuflectit, & ad locum paratum accedit, unde ambabus accipit manibus pelviculam cum ampullis, & manutergio, quod explicat in cornu epiſtolæ ſuper altare, deſuper pelviculam cum ampullis coopertis collocans, ſtando ſuper gradum pradellæ proximiorem, numquam vero ſuper ipſam, juxta idem cornu, reſpiciendo altaris medium.

XXXIII. Hic autem nota, quod apud altare, extra illud tamen, debet eſſe feneſtella, ſeu parva menſa pro ampullis.

XXXIV. Velum calicis miniſter plicat, nonnulli tamen in contrarium ſentiunt, plicatumque ſuper altare deponit prope, ſed extra corporale.

XXXV. Stans igitur ad latus epiſtolæ, minime ſuper pradellam, dextera accipit in manubrio, vel in inferiori parte ampullam vini, quam cum oſculo in ampullæ ſummitate, non autem manus Celebrantis, miniſtrat; inde ſiniſtra eamdem vini ampullam a Sacerdote recipit, dextera vero porrigit aquæ ampullam cum oſculo in ſummitate, quæ tamen oſcu-

oſcula in defunctorum miſſis omittuntur. Semper autem in porrigendis ampullis caput celebranti inclinat. Inde elevat aliquantulum ſuper altare manutergium, & ſiniſtra pelviculam accipit, dextera vero aquæ urceolum, ex quo cum ipſius oſculo in ſummitate, ſtans in ſupremo altaris gradu extra pradellam, fundit aquam ſuper digitos celebrantis, facta eidem reverentià: ne autem guttulis aquæ commaculet altaris, aut Sacerdotis paramenta, pelviculam quaſi ad cinguli altitudinem elevabit, ampullam vero ſupra pelvim attollat ad octo circiter digitorum menſuram. Aquam e pelvicula in terram extra altare proiicit, manutergium plicat, urceolos cum pelvicula, unde abſtulerat, reportat, nullatenus autem ſuper altare, vel ejus gradus collocat. Mox ſumpta campanula redit ad infimum anteriorem gradum in cornu epiſtolæ, ubi facta prius conſueta inclinatione genuflectit, aut ſi per tempus non liceat ad anteriorem gradum accedere, priuſquam Sacerdos dicat *Orate fratres*, poteſt in laterali infimo gradu genuflectere, ut reſpondeat *Suſcipiat*, quo

dicto flexis genibus ad anteriorem prædictum gradum accedat.

XXXVI. *Suſcipiat* non dicitur ſtatim ac Sacerdos dixit *Orate fratres*, ſed expectetur aliquantulum, donec Sacerdos compleat *Apud Deum Patrem omnipotentem*. Dicitur autem flexis genibus, ſed capite, & corpore erecto.

XXXVII. Ad verba præfationis *Deo noſtro* caput inclinat cum Celebrante.

XXXVIII. Ad *Sanctus* unico continuato ictu, ſeu ter interpolatim, duobus ictibus per ſingulas vices campanulam pulſat in laudem, & honorem Dei, qui dicitur ter ſanctus, & id uſque dum Sacerdos dicat *Benedictus qui venit*, tunc enim campanulam in gradu verſus Celebrantem deponit, & ſignum Crucis a fronte ad pectus cum celebrante producit.

XXXIX. Ter quoque ad utramque elevationem pulſat campanulam, videlicet ſemel dum Celebrans adorat, ſemel dum elevat, ſemel dum Sacramentum deponit, non autem dum Sacerdos poſt depoſitionem genuflectit.

XXXX. Quando in Eccleſia Sanctiſſimum

mum eſt expoſitum, vel alia publica celebrantur officia, in miſſis privatis numquam pulſatur campanula; quod eſt valde notandum.

XXXXI. Ad elevationem miniſter elevat poſteriorem planetæ partem in medio partis infimæ, & dum elevat profunde ſe inclinat, non tamen oſculatur planetam. Hoc idem facit in calicis elevatione. Deinde ſurgente Sacerdote, ſurgat & ipſe cum genuflexione unius genu ſuper gradum, in quo erat ad elevationem genuflexus, & retrocedat ad infimum gradum in cornu epiſtolæ, ubi utroque genu iterum genuflectat, ſecum campanulam portans, aut ſuo in loco deponens.

XXXXII. Ad verba *Nobis quoque* dextera percutit ſibi pectus, poſita infra pectus ſiniſtra, quod etiam ad *Domine non ſum dignus* tribus vicibus ſimiliter præſtat.

XXXXIII. Dum ſumitur a Celebrante SS. Sanguis, facta in loco, ubi eſt, genuflexione, deferens campanulam ſecum, eam deponit, niſi prius id fecerit. Mox per manubrium reportat ad altare

ampullas æqualiter elevatas, operculis ſuper credentiam depoſitis, & in cornu epiſtolæ reſpiciendo medium altaris conſiſtit, extra ſuppedaneum in gradu illi proximiori facta debita reverentia. Ibi pro purificatione, extenſa manu dextera cum quaſi ampullæ oſculo, & capitis inclinatione ante, & poſt, infundit vinum in medio calicis, mediocritatem ſervans; infundat autem nec nimis lente, nec præcipitanter nimis. Deinde pro ablutione miniſtrat in primis vinum, mox aquam ſuper, non juxta pollices, & indices Sacerdotis in medio calicis immota manu dextera, qua tam vinum, quam aquam miniſtrat cum quaſi ampullarum oſculis, & cum capitis inclinatione ante, & poſt, nec deſiſtet, donec Sacerdos deſiſtendi ſignum dederit, & animadvertat, ne retrahat urceolos ore incurvato, ſed illos erigat, ne guttæ aliquæ cadant ſuper calicis pedem, vel ſuper tobaleam, nam ſuper altare, ita tamen, ut illud calix non tangat, non extra, facienda eſt ablutio, niſi miniſter exiguæ ſit ſtaturæ. Poſthæc facta ſolita altari reverentia reportat urceolos

los ad locum ſuum, operculis illos tegendo.

XXXXIV. Si qui ſint communicaturi, poſt quam Celebrans pretioſiſſimum Sanguinem ſumpſit, miniſter, extenſo ante communicaturos albo linteo, ſtatim genuflexus in cornu epiſtolæ dicit junctis manibus *Confiteor Deo*, percutiens ſibi more ſolito pectus ad verba *Mea culpa*, & *Domine non ſum dignus*.

XXXXV. Ut autem tempeſtive linteum miniſter extendat, poſt dictum *Agnus Dei* ſurgat, & facta genuflexione linteum adaptet. Non incipiat *Confiteor*, niſi poſt ſacratiſſimi Sanguinis ſumptionem a Celebrante factam, dicat autem genuflexus a latere epiſtolæ in plano, & inclinatus, manibus junctis, voce ordinaria.

XXXXVI. Completa Communione recipit, plicatque linteum, & in miniſterio ſuo progreditur, ut ſupra ſub *n.* 43.

XXXXVII. Urceolis depoſitis progrediens per planum, facta in medio genuflexione, aſcendit per gradum ſive lateralem, ſive etiam anteriorem ad cornu evangelii, unde refert cum cuſſino li-

brum clauſum ad cornu epiſtolæ, iterum in medio genufleɛtens, ac depoſito libro, ut in principio miſſæ, aperit illum in folio, in quo Celebrans lectὑrus eſt communionem.

XXXXVIII. Tum per lateralem epiſtolæ partem redit per planum, facta rurſus in medio genuflexione, ad cornu evangelii, ubi genuflexus ſuper infimum gradum manet uſque ad benedictionem incluſive, ad quam ſe ſignat, & reſpondet *Amen* adhuc genuflexus.

XXXXIX. In quadrageſima ad *Humiliate capita veſtra Deo* miniſter genuflexus ſe inclinat.

L. Si peculiare legendum ſit Evangelium in fine miſſæ, quando Sacerdos dicit *Placeat tibi S. Trinitas*, miniſter ſurgit, & facta in medio genuflexione aſcendit per gradus anteriores a parte epiſtolæ, accipit librum clauſum, ut ad primum Evangelium, & facta in medio genuflexione, locat illum more ſolito ſuper altare in cornu evangelii: hæc autem omnia ita tempeſtive peragat, ut ſit genuflexus ante medium altaris ad benedictionem.

LI. Ad

LI. Ad verba *Initium*, vel *Sequentia S. Evangelii* ſignat ſe una cum Sacerdote in fronte, ore, pectore, advertens, quod hoc ſignum faciat non ungue, ſed pulpa dexteri pollicis.

LII. Ad *Verbum caro* genuflectit unico genu in loco ſuo facie converſus ad altare, & finito Evangelio, ſtans in plano a parte, epiſtolæ reſpondet *Deo gratias*. In fine hujus Evangelii miniſter reſpondet *Deo gratias*, ad differentiam primi Evangelii, quod Chriſti Domini prædicationem ſignificat, ideoque tunc reſpondetur *Laus tibi Chriſte*, hoc autem ultimum Evangelium Apoſtolorum deſignat prædicationem.

LIII. Dicto *Deo gratias*, non prius, tranſiens cum debita genuflexione per medium altaris, aſcendit per laterales gradus ad cornu evangelii, & candelam ibi exiſtentem extinguit, deinde iterum in medio genuflectens accedit per gradus laterales ad partem epiſtolæ, ubi alteram extinguit candelam, & quidem ſemper extinctorio, nec ullo alio modo, niſi neceſſitas urgeat. Mox accipit miſſale, & biretum eodem modo, quo in principio

miſ-

miſſæ, & vadit ad cornu epiſtolæ apud ultimum gradum ſtans in plano prope Celebrantem, qui dum ſe inclinat, miniſter genuflectit, poſtea, non prius, non ex miſſali, ſed manu dextera cum quaſi oſculo bireti, & capitis inclinatione ante & poſt, miniſtrat ipſum biretum celebranti, quo facto, modo quo venerat ad ſacriſtiam redit.

LIV. Reverſus ad ſacriſtiam miniſter, ſiſtens extra januam, inclinat ſe Celebranti, & expectat, donec ille tranſeat, inde ſacriſtiam ingreſſus inclinat ſe profunde ſimul cum celebrante Cruci, ſeu principaliori Imagini, accipit cum ſolita reverentia a Sacerdote biretum cum quaſi oſculis illius, quod ponit in loco ſuo, ſicut etiam miſſale: poſtea ſe locans ad ſiniſtram celebrantis, ipſum adjuvat in exuendis ſacris veſtibus, demum petit ab eo benedictionem, eique vale dicit.

LV. Sacerdos hic non manu, ſed verbo tantum debet benedicere, inquiens *Dominus te benedicat*.

TI-

# TITULUS
## DECIMUS QUINTUS

### PRAXIS IN VISITATIONE EPISCOPALI A VISITATIS SERVANDA.

### §. I.

*Ante Viſitationem.*

I. ORatio publica, & ſi fieri poſſit, 40. horarum, indicatur a Parochis in locis ſaltem inſignibus.

II. Moneatur populus de proxima viſitatione, cauſis, effectibus, & ritu, lectis inter miſſarum ſolemnia paſtoralibus literis, ſi datæ ſint, & ſuadeatur, ad revelandum ea, quæ videntur correctione indigere.

III. Invitetur plebs ad pœnitentiæ Sacramentum, ut de manu Epiſcopi Sanctiſſimam ſumat Euchariſtiam.

IV. Inſtruantur qui confirmandi ſunt, paratis opportunis ſchedulis, in quibus ſcri-

ſcripta ſint nomina, & cognomina confirmandorum, & parochiæ nomen.

V. E proximis invitentur locis, ubi opus ſit, approbati confeſſarii ad audiendas confluentium confeſſiones.

VI. Ornetur decenter Eccleſia; mundentur ædes parochiales; paupertas quidem laudabilis, dignæ vero ſumma vituperatione ſordes.

VII. Si quæ ſint benedicenda, ſeu conſecranda opportune parentur.

VIII. Satis commendabile foret, ut in prima viſitatione Parochi diſtinctam, exactamque propriæ Eccleſiæ, ejuſque tum quoad ſpiritualia, tum quoad temporalia ſtatus relationem Domino Viſitatori offerendam conficerent.

IX. Frequenti campanarum ſono populus excitetur, maxime vero pridie viſitationis.

§. II.

## §. II.

### IN ACTU VISITATIONIS.

*Pro Cæremoniis Epiſcopalibus parentur:*

I. BAldachinum in porta Oppidorum inſignium a primariis locorum geſtandum.

II. Crux abſque haſta a Domino Epiſcopo oſculanda.

III. Tapes cum pulvillo in Eccleſiæ ingreſſu.

IV. Vas aquæ benedictæ cum aſperſorio.

V. Genuale ſcabellum cum pulvinaribus, & tapete ante majus altare.

VI. Sedes ſuper tres gradus, & ſi fieri poſſit, ſub umbella a latere evangelii cum tapete ſuper gradus, & duobus ſcamnis in gradu ſecundo.

VII. Duo intorticia ad varios uſus.

VIII. Pluviale, & ſtola coloris albi pro Parocho.

IX. Crux cum velo nigro, vulgo *la ban-*

*banda da morti* cum duobus candelabris pro abſolutione defunctorum.

X. A cornu evangelii credentia mundo linteo cooperta.

XI. Occurſus totius Cleri, Confraternitatum, & Populi canticum *Benedictus Dominus* canentium. Fœminæ vero conſiſtant in Eccleſia orantes capite cooperto.

*Pro Sanctiſſima Eucbariſtia.*

HOſtiæ, particulæ, mappæ, vaſa pro uſu ſacræ communionis.

*Pro Sacramento Confirmationis.*

I. LOcus pro confirmandis viris diſtincte a fœminis.

II. Goſſipium pro ſacro Chriſmate.

III. Vas pro colligendo goſſipio jam adhibito.

*In Sacriſtia.*

I. SAcra ſuppellex tali ordine expoſita, ut brevi cerni valeat.

II. Adſint libri ad uſum Eccleſiæ deſtinati, videlicet.

I.I. Miſ-

III. Miſſalia cum recentioribus miſſis, & cujuſcumque Diœceſis propriis.

IV. Breviaria cum officiis ut ſupra.

V. Antiphonaria pro canendis veſperis, & miſſis.

VI. Ritualia pro Sacramentis adminiſtrandis.

VII. Liber, vulgo *La Vacchetta delle Meſſe*.

VIII. Edicta Epiſcopalia, commendatitiæ pro Terra ſancta, & ſacræ Inquiſitionis edictum.

IX. Tabella cum oneribus miſſarum celebrandarum, & legatorum ad pias cauſas. Doceatur an fiat ſatis.

*In ſedibus confeſſionalibus.*

I. APpenſa habeantur Bulla in Cœna Domini, & caſus a D. Epiſcopo reſervati.

II. Sint hinc inde crates ferreæ cum exiguis foraminibus, & aliqua pia Imago, ubi pœnitentes genuflectunt, viri diſtincte a fœminis.

III. Sedes confeſſionales conſtitutæ ſint non in abditis Eccleſiæ locis, ſed in loco

co aperto, & patenti, & ab utroque latere clauſæ, & ab anteriori parte apertæ, ſed cum ſuo oſtiolo.

*In Baptiſterio.*

I. SAcrum Chriſma, & Sanctum Oleum, quod & cathecumenorum dicitur, eodem anno ab Epiſcopo benedictum.

II. Vaſcula argentea, vel ſaltem ſtamnea bene obturata, atque inter ſe diſtincta, quorum ſingula propriam habeant inſcriptionem majuſculis literis inciſam, ne quis error committatur.

III. Theca ita obſerata, ut in deferendis ab Eccleſia Cathedrali ad parochialem ſacris oleis, ea deferentes diſperdere, mutare, imminuere nullatenus valeant.

IV. Alia minora ad quotidianum uſum vaſcula ex argento, vel ſtamno ſive ſeparata, ſive conjuncta, apte tamen diſtincta, bene cooperta, & cum ſuis inſcriptionibus, ut ſupra.

V. Honeſtus, ac nitidus locus proprius, vulgo *Armario*, in quo prædicta va-

vaſa ſub clave, ac tuta cuſtodia decenter aſſerventur.

VI. Vaſculum cum ſale benedicto ſua peculiari benedictione, quod ſit bene confractum, & attritum, ſiccum, & mundum, nullo modo in alium uſum vertendum.

VII. Vaſculum, ſeu cochlear ex argento, vel alio metallo nitidum cum ſuo manubrio ad aquam ſuper baptizandi caput effundendam, nulli alteri uſui deſerviens.

VIII. Mantile mundum ad abſtergenda loca ſacris oleis inuncta, & baptizati caput, in profanum uſum numquam convertendum.

IX. Sacrarium in ipſo fonte ad excipiendam aquam e capite defluentem, itaut in fontem non recidat.

X. Aliud ſacrarium in plano Eccleſiæ prope baptiſterium pro veteri aqua effundenda, quando ipſa eſt renovanda, & pro aliis ad uſum tantum baptiſmi inſervientibus.

XI. Duæ ſtolæ, una violacea, altera alba, vel ſaltem una hinc violacea, inde vero alba.

XII. Imago ſeu ſculpta, ſeu picta S. Joannis Chriſtum Dominum baptizantis.

XIII. Decens, & lata umbella ſupra Baptiſterium.

XIV. Baptiſterium ſit decenti loco, & forma, materiaque ſolida, quæ aquam bene contineat, nec ipſam imbibat, decenter ornatum, cancellis balauſtrio opere circumpſetum, ſera, & clave munitum, atque ita obſeratum, ne aqua pulvere, aliiſve inquinetur ſordibus, panno ad id ſerico albi coloris contectum.

XV. Aqua nitida ſit, ac pura eodem anno in ſabbato Sancto, vel ſabbato Pentecoſtes benedicta.

*In Cæmeterio.*

I. ADſit ſaltem ligneum ſepimentum cum ſuo oſtiolo clave obſerato.

II. Lignea Crux erecta.

III. Vas aquæ luſtralis.

IV. Nullæ ſint arbores, aut herba pabulo danda.

V. Doceatur de ejus benedictione.

*Præ-*

*Præterea habeantur in promptu libri parochiales.*

I. BAptizatorum, confirmatorum, ſtatus animarum, matrimonio conjunctorum, defunctorum.

II. Decreta Synodalia.

III. Statuta Confraternitatum, & Eccleſiæ, ſi quæ ſint propria.

*Inventaria.*

I. JUrium, privilegiorum, onerumque Eccleſiæ.

II. Redituum Eccleſiæ, decimarum, oblationum.

III. Bonorum ſtabilium cum confinium deſcriptione.

IV. Bonorum forte uſurpatorum.

V. Sacræ ſupellectilis.

*Indices.*

I. SAcrarum Reliquiarum cum ſuis teſtificationibus.

II. Indulgentiarum, & Altarium privilegiatorum cum ſuis documentis.

 III. Be-

III. Beneficiorum intra parochiæ fines exiſtentium.

IV. Eccleſiarum, Oratoriorum, Hoſpitalium, Confraternitatum, Cappellarum cum ſuis oneribus intra eosdem fines.

V. Monaſteriorum tam virorum, quam fœminarum cum propriis titulis, ac perſonarum numero.

VI. Sacerdotum, diaconorum, ſubdiaconorum, clericorum ſecularium parochiæ.

VII. Eorum, qui diſciplinam eccleſiaſticam ingrediuntur, ut fiant clerici.

VIII. Laicorum Eccleſiæ deſervientium in divinis officiis, funeribus &c.

IX. Medicorum, ludimagiſtrorum, obſtetricum, bibliopolarum, notariorum, cauponum, & ſimilium perſonarum, de quibus noſſe debet Epiſcopus.

*A quolibet de Clero exhibenda ſunt.*

I. ORdinum, ac beneficiorum ſuorum inſtrumenta.

II. Facultates pro audiendis confeſſionibus, concionibus habendis, habitandi

cum

cum laicis, ancillave, vel extra eccleſiaſticas ædes; aliis easdem locandis; miſſam certo loco celebrandi.

III. Libri perſonales, qui ſolent eccleſiaſticis præſcribi. Kalendarium, Breviarium, Octavarium Romanum; ſacra Biblia; Concilium Tridentinum, Catechiſmus Romanus, aſcetici aliqui libelli, aliqua conſcientiæ caſuum ſumma cum propoſitionibus uſque huc damnatis.

*In plebe videatur.*

I. AN ſint aliqui de hæreſi ſuſpecti, blaſphemi, maledici, ſimoniaci, uſurarii, concubinarii, adulteri, notorie criminoſi.

II. Qui non communicaverint in paſchate, quive ad doctrinæ chriſtianæ exercitium filios, & operarios ſuos non mittant; Et qui ad SS. Clementis XII. feliciter Regnantis mentem, & juſſa non accedant.

III. An conjuges diviſi, an aliqui cenſuris irretiti, feſta violantes, profanis amoribus cum ſcandalo operam dantes, aleatores, prohibitos retinentes libros, vanæ obſervantiæ dediti.

Ff 3 §. III.

## §. III.

*Ordo ſolemniter D. Epiſcopum viſitantem recipiendi.*

I. ADſint ſtata hora Clerus, populus, Confraternitas.

II. In proximo Oratorio paretur a cornu epiſtolæ menſa tapete cooperta pro paramentis D. Epiſcopi, & ab evangelii cornu ſedes cum duobus ſcamnis, & alio tapete humi ſtrato.

III. Pontificalibus D. Epiſcopus indutus, excipiatur in ipſa Oratorii janua ſub baldachino uſque ad januam Eccleſiæ, in cujus limine adſit tapes extenſus cum ſuo pulvinare.

IV. Interim Parochus ſuperpelliceo, & pluviali albi coloris indutus, cum clericis thuribulum, cum navicula incenſi, & vas aquæ benedictæ cum aſperſorio, geſtantibus, expectet intra Eccleſiæ januam D. Viſitatorem, cui genuflexo, facta ante, & poſt inclinatione profunda ſtatim offert Crucem oſculandam.

V. Oſcu-

V. Oſculata Cruce canitur antiphona *Sacerdos, & Pontifex*.

VI. Quum D. Epiſcopus ſurgit, amoveatur pulvinar.

VII. Abſoluta antiphona Parochus cum ſolitis oſculis, ac reverentiis offert aſperſorium D. Epiſcopo in Eccleſiæ ingreſſu ſtanti, qui primo ſeipſum, deinde alios aſpergit.

VIII. Reddito aſperſorio, Parochus offert cum oſculis, ac debitis reverentiis cochleare incenſi, quod more ſolito imponitur ab Epiſcopo in thuribulo, ac benedicitur. Mox Parochus, facta ante, & poſt inclinatione profunda, triplici ductu D. Epiſcopum incenſat.

IX. Poſt incenſationem Epiſcopus Eccleſiam ingreſſus accedit ſub baldachino ante majus altare, ubi ſuper genuale ſcabellum tapete coopertum cum ſuis pulvinaribus genuflectit, & orat.

X. Baldachinum extra cancellos, ſeu presbyterium relinquatur.

XI. Tunc Parochus modo, quo ſupra, indutus ſtans in cornu epiſtolæ, in plano tamen Eccleſiæ, verſus Epiſcopum detecto capite dicit ſuper ipſum ℣. *Protector*

*noſter* cum ſequentibus, & orationem *Deus humilium viſitator*, junctis manibus, & quum dicit *Oremus* caput erga Crucem altaris inclinat.

XII. Completa oratione D. Epiſcopus ſurgit, & aſcendit ad altare.

XIII. Interim a Clero canitur antiphona cum ℣. Sancti Titularis Eccleſiæ.

XIV. Epiſcopus aſcenſus ad altare, illud oſculatur in medio, mox in epiſtolæ cornu cantat orationem Sancti Titularis, qua abſoluta populo ſolemniter benedicit.

XV. Poſt hæc accedit ad thronum, ubi depoſitis paramentis albis, induitur nigris pro abſolutione defunctorum &c. ut in Pontificali Romano.

## §. IV.

*Poſt Viſitationem.*

I. PArochus quidquid a D. Epiſcopo decretum, ſeu præceptum fuerit, ſtatim, ne poſſit e memoria excidere, dili-

diligenter deſcribat, & quamprimum ſatagat opere adimplere.

II. Quoniam vero quotidiana experientia demonſtrat, plurima, eaque ſalubria decreta in diœceſanibus luſtrationibus fieri, pauca vero, quid ſi nulla? deinceps exequutioni demandari, duo videntur omnino eſſe neceſſario præſtanda.

III. Alterum ut abſoluta viſitatione DD. Epiſcopi mittant operarios in vineam ſuam, Vicarios nimirum foraneos, ſive alios ſelectos viros timentes Deum, in quibus ſit veritas, qui oderint avaritiam, quique hominum perſonam non reſpiciant. His ſerio præcipiant, ut animo non minus, quam corpore vicariatus ſui Eccleſias, quo tempore, quave non putatur hora luſtrantes diligenter inquirant, attente conſiderent, an Parochi juſſis obtemperaverint, an inventaria, maxime ſacræ ſupellectilis, in qua non raro plurimæ adhibentur a viſitatis fraudes, vere concordent; an prædia excolantur; an ædes colonicæ reparentur; an denique omnia, & ſingula viſitationis decreta ſuum effectum ſortita ſint.

IV. Alterum, ut iidem DD. Epiſco-

pi

pi ſervos a bono opere torpentes omnino damnare non negligant. Quomodo vero? In promptu reſponſio eſt. Integros Eccleſiæ reditus, neceſſariis tantummodo ad vitæ ſuſtentationem relictis, in ea ſi opus fuerit, eleemoſynis quoque miſſarum computatis, apud fidelem adminiſtratorem deponendos, præter omnem prorſus indulgentiam curent zelantes animarum Paſtores, quouſque paſtoralia decreta, ac præcepta ſint ad jota unum accuratiſſime adimpleta.

V. Certo ſi iſta omittantur, en noviſſimis hiſce temporibus penitus irritus, inefficax, vanus totus viſitationis labor, & ſcopus. Unde fit, ut miſeri ſucceſſores, ſiquam divini honoris, ac proprii nominis habere curam velint, infelicem cogantur vitam traducere, diris preſſi anguſtiis, immodicis onerati expenſis, ut labentia confirment, excolant inculta; diſſuta, & ſciſſa reſarciant, comparent neceſſaria quæ deſunt. Experto, heu nimium experto fidem habe.

§. V.

## §. V.

*Ratio ſervandi nitidam, mundamque ſacram ſupellectilem.*

I. Altaria ſtragulis cærulei coloris poſt miſſam tegantur, ante miſſas vero, ſtragulis detractis, mappæ paratis ad id tantum ſcopulis detergantur, ut mundiſſimæ ſemper appareant, adeoque ſæpius, maxime ſuperiores, mundæ apponantur; tunc autem prædictis ſcopulis ipſa quoque altaria mundentur, ac tela cerata, quæ ſacro hæret lapidi, leviter purgetur.

II. Ulterius bis ſingulis annis, quum ſudum eſt, poſt miſſas ad veſperas, amoto ſuppedaneo, ut ſicci aeris beneficio fruantur, altaria undequaque mundentur.

III. Icones cum ſuis ornamentis, tabernaculum SS. Euchariſtiæ, & alia hujuſmodi picta, vel inaurata altaribus adjuncta, ſicut umbellæ deſuper pendentes vulpinis caudis purgentur.

IV. Al-

Digitized by Google

IV. Altaris ſuppedaneum quotidie, ſi ſacrum in eo faciendum ſit, ſcopis mundetur, quemadmodum feneſtella, ſeu parva menſa pro urceolis.

V. Argentea ſuppellex molliori ſapone, ac tepida abluantur lixivia.

VI. Candelabra, ac cætera ex aurichalco ſeptimo ſaltem quoque die a pulvere, & cera, ſi forte defluxerit, mundentur.

VII. Hæc ſolemnioribus in feſtis pumiceo pulvere, vel agreſtibus uvis, aut acida abſtergantur herba, deinde aqua bene abluantur, & ſoli exponantur: acetum vero numquam ad id adhibeatur.

VIII. Vitreæ lampades, quæ quotidiani ſunt uſus, decimoquinto quoque die calida lixivia mundentur.

IX. Urceoli, præter id, quod fit quotidie, ſingulis ſaltem menſibus purgentur, adhibita arena, vel ovorum cortice bene contrito cum ligneo aliquo inſtrumento ad ſordiculas omnino tollendas.

X. Eorumdem pelviculæ quotidie abſtergantur, ac ſiccentur.

XI. Si ſtamneæ fuerint tertio ſaltem quoque menſe fervente laventur lixivia, & ovo-

& ovorum cortice bene contrito fricentur; iterum deinde aqua lotæ in ſole ſiccentur, lineoque panno mundo abſtergantur.

XII. Si autem fuerint ex aurichalco, quoties opus ſiat, arena quoque cribrata, & humefacta fricentur, inde aqua lotæ ſoli exponantur, & ut ſupra abſtergantur.

XIII. Linea omnia, albæ, amictus, ſuperpellicea, mappæ, panni, & ſi quid eſt aliud divini cultus gratia paratum, diviſim a quibuſcumque domeſticis indumentis laventur.

XIV. Hæc autem recondantur bene ſicca, & complicata ſeparatim locis ſuis, & apponantur roſæ ſiccæ, & ſimilia, tum ad majorem munditiem, atque elegantiam, tum ut a tineis cuſtodiantur illæſa.

XV. Corporalia, & purificatoria, quum amoventur, ut alia adhibeantur, in arcula, ſeu caniſtro ad hunc tantum uſum deſtinato collocentur. Convenit autem, ut ſingulis ſacerdotibus purificatoria tradantur diſtincta.

XVI. Quoniam vero ob majorem, ſeu minorem celebrantium, ſeu functio-

num

num numerum nequit univerſalis quædam regula ad ſacram ſupellectilem mutandam, vel mundandam præfiniri, idcirco illud ſemper præ oculis habeatur, & maxime cordi ſit, ut ea ſemper integra, munda, nitida apponatur, ne quid in domo Dei, quam decet ſanctitudo, cujus indumentum decor eſt, ſordidum, ne quid ſciſſum, ne quid inquinatum appareat.

XVII. Caſulæ, dalmaticæ, tunicellæ, &c. recondantur bene extentæ ſine ruga, vel plicatura in capſis ductilibus, quæ in armario inſerantur, poſito panno, vel craſſiore charta, quæ capſæ fundum contegat. Siccis roſarum foliis, aut ſimilibus aſpergantur. Recondantur una cum ſuis ſtolis, manipulis, burſis. Superius alio panno, ſeu charta contegantur, ut mundiores ſerventur.

XVIII. Quæ ſunt ex auro, vel argento texta, ſive ornata, habeant pannum inter utramque ſuperficiem, ne confricata corrodantur.

XIX. Quandocumque extrahuntur hæc indumenta, ſubſternatur iis mappa munda, & ſi aliquo ſpatio relinquenda ſint, ſtragulum ſuperſternatur.

XX. Quæ

XX. Quæ raro adhibentur, quandoque explicata ſereno cœlo exponantur, ne muceſcant, vel male oleant, ſed non ſolis radiis, ne decolorentur. Aptum tempus cenſetur ver, & autumnus, & ſemel etiam in hieme juxta temporis opportunitatem.

XXI. Pallia altarium in amplo armario erecta ſerventur, panno interpoſito inter unum, & aliud ad confricationem vitandam.

XXII. Stragula quotidie levius excutiantur, per ſingulas hebdomadas diligenti agitatione a pulvere mundentur, tertio quoque menſe aeri exponantur.

XXIII. Tapetia, craſſioreſque panni ad uſum ſoli inſternendi, quum recondenda ſunt, prius cera purgentur, & ſordibus, inde aeri exponantur, ac diligenter agitentur ad excutiendum pulverem, demum ſcopulis bene mundentur, & complicata ſuis locis recondantur.

XXIV. Adſit æneum vas pro abſtergendis calicibus, & lavandis corporalibus tantum reſervatum, inſtar pelvis, binis conſtans manubriis, & ore eminenti, per quod, quaſi per canalem, aqua lotio-

nis

nis inde paulatim in ſacrarium effundatur. Hoc antequam adhibeatur, ac iterum poſt, bene abluatur. Bis autem ſingulis annis abſtergatur accurate latere contrito, vel arena, & aqua.

XXV. Feneſtræ ſacriſtiæ ſæpe ſereno, ſiccoque cœlo pateant: ductiles tunc capſulæ paululum educantur, & armaria aperiantur, ut etiam quæ intus ſunt, aeris ſentiant beneficium.

Hæc autem rudi minerva dixiſſe ſufficiat. Si quid orthodoxæ Fidei dogmatibus, ſacrarum Congregationum oraculis, doctorum virorum regulis haud conſonum forte conſcriptum exciderit, non ex voluntate hoc eveniſſe profiteor, immo aliorum correctioni, maxime vero S. Sedis Apoſtolicæ lituræ æqua, prout decet, animi demiſſione, atque obedientia humillime ſubiicio.

AD-

# ADDITIONES
## ET ADNOTATIONES
### AD OPERIS COMPLEMENTUM.

TIt. II. §. 2. n. 22. In communione monialium feneſtellam habentium in parte evangelii, Sacerdos debet deſcendere, ac reverti non per laterales, ſed per gradus anteriores altaris S. R. C. 15. *Sept.* 1737.

Tit. eod. §. 2. n. 4. Pyxis benedicenda eſt. S. R. C. 16. *Novemb.* 1649.

Tit. eod. §. 4. n. 12. Pyxis in qua, proprio velo cooperta, defertur SS. Viaticum infirmis, cooperienda eſt humeralis oblongi veli extremitatibus S. R. C. 11. *Aug.* 1736.

Tit. III. §. 2. n. 5. Sacerdos in benedicendo ad verba *Adjutorium noſtrum* ſignat ſe a fronte ad pectus.

Tit. V. §. 2. n. 3. In Eccleſiis parochialibus, quadrageſimæ, & adventus tempore, adhiberi poſſunt planetæ plicatæ. S. R. C. 23. *Mart.* 1631.

Tit. VI. §. 1. n. 3. Sabbato ante dominicam Paſſionis debent Imagines, & Cruces velari, quamvis eo die occurrat feſtum S. Titularis, aut patroni, vel dedicationis Eccleſiæ, nec detegendæ ſunt, etiamſi occurrant prædicta feſta infra hebdomadam. S. R. C. 16. *Novemb.* 1649.

Tit. eod. §. 3. n. 19. Diaconus dum accedit ad medium altaris genuflectit, antequam calicem palla cooperiat.

Tit. eod. §. eod. n. 37. Diaconus aſcendens ad altare genuflectit unico genu abſque capitis inclinatione.

Tit. eod. §. 4. n. 18. Dum celebrans orationibus præmittit *Oremus* extendit, ac jungit manus, Cruci caput inclinans.

Tit. & §. eod. n. 25. Dum Celebrans defert Crucem ad locum paratum, miniſtri ſtant genuflexi ſuper ſuppedaneum junctis ante pectus manibus, facie ad populum verſa.

Tit. & §. eod. n. 26. Miniſtri reſumptis calceamentis, reſumunt etiam manipulos antequam ſedeant.

Tit. & §. eod. n. 61. Quodcumque feſtum

ſtum occurrens in dicta feria ſecunda poſt dominicam in albis, qua die transferri debet Annuntiationis feſtum, quod erat celebrandum feria ſexta in Paraſceve, vel in ſabbato Sancto, debet in aliam diem transferri, & feſto Annuntiationis cedere, niſi ſit altioris ritus, tunc enim feſtum Annuntiationis transfertur in feriam tertiam ſequentem, protractis aliis feſtis dicta die occurrentibus. S. R. C. 11. *Febr.* & 11. *Maii* 1690. & 14. *Junii* 1692. Licet autem ob feſtum altioris ritus ſit Annuntiationis officium transferendum, feſtum tamen, atque adeo obligatio audiendi ſacrum, & ab operibus ſervilibus vacandi, minime transfertur, quum feria ſecunda poſt dominicam in albis ſit dies Annuntiationis feſto aſſignata. Quando vero Annuntiationis feſtum occurrit in aliis diebus infra majorem hebdomadam, præter diem Paraſceves, aut ſabbati Sancti, tunc quidem feſtum fit in die, in qua occurrit, officium autem transfertur in dictam feriam ſecundam poſt dominicam in albis, ita tamen,

ut ſi dicta fer. 2. poſt prædictam dominicam occurrat feſtum proprium dictæ diei affixum, v. g. S. Franciſci de Paula, S. Iſidori &c. tunc, ſaltem ex praxi, officium Annuntiationis non reponatur in dicta fer. 2. ſed primum omnium, etiam primæ claſſis, transferatur in primam diem ſimiliter non impeditam.

Tit. VII. §. 1. n. 23. Si officium S. Confeſſoris transferatur in diem proxime ſequentem ab ejus obitu (ut officium S. Didaci, & S. Franciſci Xaverii) & in primis veſperis, ſaltem a capitulo fiat de ipſo, tunc in hymno non debet mutari tertius verſus, ſed dicendum eſt *Meruit beatas* tam in utriſque veſperis, quam in matutino, quum in die obitus ſui habuerit capitulum. S. R. C. 13. *Januar.* 1683.

Tit. VIII. §. 2. n. 14. Celebrans in miſſa ſolemni debet ad præparatam ſedem procedere detecto capite, & ita regredi ad altare. S. R. C. 22. *Martii* 1676.

Tit. & §. eod. n. 45. Celebrans, & miniſtri ad verba *Et incarnatus eſt &c.* ge-

genuflectunt, etiamſi ſedendum non ſit, & quamvis debeant pariter genuflectere more ſolito, quando eadem verba cantantur a choro.

Tit. X. §. 4. Verſ. *duo hic nota &c.* SS. Sacramentum in miſſa, & veſperis incenſatur a Celebrante genuflexo ſuper ſuppedaneum: extra miſſam, & veſperas incenſatur ſuper infimum altaris gradum.

Tit. XI. §. 4. n. 3. Miniſtri juxta recentiores ſemper genuflectunt ſuper eumdem gradum cum celebrante.

Tit. XII. §. 1. n. 14. In quibuſcumque SS. Sacramenti proceſſionibus, ejusdem ſocietas cæteris omnibus laicorum confraternitatibus præcedit. S. R. C. 19. *Junii* 1655.

Tit. & §. eod. n. 45. In proceſſionibus, quando non geſtantur Reliquiæ, magiſtratus poteſt inſtar cleri incedere tecto capite. S. R. C. 2. *Septemb.* 1690.

Tit. XIII. n. 20. Feſtum ſemiduplex occurrens in feſtis octavam habentibus, aut in dominica infra octavas, vel in feſto Aſcenſionis, transferendum eſt in diem proxime ſequentem, quæ non

ſit impedita alio feſto duplici, vel etiam ſemiduplici diei illi aſſignato, licet reponendum eſſet quodcumque officium, etiam de ſolemnioribus primæ, & ſecundæ claſſis. S. R. C. 19. *Julii* 1700. 16. *Septemb.* 1702. 23. *Junii* 1736. 16. *Februar.* 1737. Eadem ratio militat in ſemiduplici incidente in feſto duplici infra octavam non privilegiatam. S. R. C. 30. *Septemb.* 1679. Occurrentibus tamen eadem die duobus duplicibus infra octavam Corporis Domini, non eſt de translato agendum die immediate ſequenti, ſed poſt octavam, juxta generales rubricas. S. R. C. 7. *Septemb.* 1680.

Tit. eod. n. 55. In feſtorum translatione prius agendum eſt de digniori, itaut ſi B. M. V. ſit titularis, alius vero patronus Civitatis, prius agendum ſit de B. M. V. S. R. C. 27. *Aug.* 1633. e converſo ſi duæ occurrant octavæ, una principalis patroni ſub ritu duplicis primæ claſſis, altera B. M. V. ſub ritu dup. ſecundæ claſſis, recitandum eſt officium de patrono principali cum

com-

commemoratione octavæ B. M. V. S. R. C. 19. *Junii* 1700.

Tit. eod. n. 56. Annuntiationis feſtum, etiam quoad officium tantum translatum, cæteris feſtis æqualis ritus, præponendum eſt, licet poſterius tempore. S. R. C. 29. *Novemb.* 1682. 30. *Junii* 1689. 14. *Julii* 1692. intellige cauſa translationis tantum, idque ob ſpecialem dominicæ Incarnationis reverentiam. S. R. C. 14. *Junii* 1691. quare hæc regula non militat in reliquis B. M. V. feſtis.

Si feſtum ſeptem Dolorum B. M. V. pro fer. VI. poſt dominicam Paſſionis aſſignatum, occurrat in feſto ſecundæ claſſis, transferendum eſt in ſabbatum immediate ſequens; non obſtante quod in dicto ſabbato occurrat aliud officium alterius Sancti, dummodo non ſit altioris ritus, feſtum vero Sancti occurrentis in dicto ſabbato, transfertur juxta regulas Benedict. XIII. 25. *Januar.* 1729.

Officium S. Marci reponendum eſt prius, quam officium SS. Apoſtolorum Philippi, & Jacobi S. R. C. 17. *Jun.* 1706.

 Fe-

Feſtum inventionis S. Crucis cadens in dominica, in qua celebratur feſtum dedicationis Eccleſiæ, transferri non poteſt in diem immediate ſequentem feſto duplici, vel ſemiduplici impeditam, ſed reponendum eſt prima die ſimiliter non impedita. S. R. C. 23. *Junii* 1736.

Si feſta altioris ritus occurrant alicubi in die, in qua ab univerſali Eccleſia celebratur aliquod feſtum duplex, feſtum iſtud transferendum eſt in ſequentem diem, licet ſequens dies ſit dominica, quia eſt tamquam dies propria. S. R. C. 2. *Julii* 1712. ob perpetuum impedimentum. S. R. C. 20. *Novembr.* 1717.

Tit. eod. n. 59. Si officium ad libitum habuerit etiam ritum ſimplicem de præcepto, non omittitur infra octavas, aut in ſimili caſu, ſed celebratur ritu ſimplici. S. R. C. 13. *Jun.* 1682.

Tit. eod. n. 60. Sancti, qui in fine anni ſuperſunt, non ſunt ad annum ſequentem transferendi, ſed quoties toto anni decurſu nequeat de illis celebrari, tunc eo anno diebus eorum propriis

con-

conſiderandi ſunt tamquam ſimplices, faciendo commemorationem, ut fit in ſimplicibus cum nona lectione ad matutinum, compoſita ex propriis eorum lectionibus ſecundi nocturni ad modum unius S. R. C. 8. *Martii* 1738.

In occurrentia feſtorum ejuſdem ritus, & alias quomodocumque parium, primum locum habet officium particularis Eccleſiæ; ſecundum Ordinis, ſeu Religionis; tertium Diœceſis; quartum Nationis; quintum univerſalis Eccleſiæ. S. R. C. 23. *Jun.* 1736.

Tit. XV. §. 1. n. 1. In Epiſcopi ingreſſu delatores baldachini incedant pedites, ac nudo capite, S. R. C. 27. *Julii* 1624.

*F I N I S.*

# INDEX

## RERUM MAGIS NOTABILIUM.


### ABUSUS.

*Antiqui abuſus debent cum magna cautela auferri*. Tit. XII. §. 1. n. 49.

### ADAM.

*Qua die peccaverit*. Tit. VI. §. 4. n. 63.

### ALTARE.

*An liceat abſque licentia erigere altare mobile ligneum, ut ibi celebretur*. Tit. II. §. 4. n. 32.

### ASSISTENS.

*Simplex Sacerdos poteſt in Miſſa ſolemni uti presbitero aſſiſtente, ubi eſt conſuetudo*. Tit. VIII. §. 1. n. 11.


BA-

BAPTISMUS.

*Per Baptiſmum tria bona operatur in nobis Spiritus Sanctus, & quæ ſint*. Tit. VI. §. 5. n. 33.

BENEDICTIO.

*Danda eſt a maiori, non a minori*. Tit. III. §. 1. n. 8.
*Benedici poteſt populo cum reliquiis approbatis*. Tit. XII. §. 1. n. 48.

BURSA CORPORALIUM.

*Collocanda eſt in cornu evangelii erecta, non iacens*. Tit. VI. §. 4. n. 30.

CANDELA.

*Chriſti Domini typus*. Tit. IV. §. 1. n. 6.
*Candelæ altaris quomodo accendendæ, ac extinguendæ*. Tit. VI. §. 1. n. 23.

CELEBRANS.

*Numquam genuflectit ad* Flectamus genua *prolatum a Diacono*. Tit. IV. §. 2. n. 9.

COMMEMORATIO.

*Ordo faciendi commemorationes in miſſa*. Tit. XI. §. 2. n. 29.

CONCURSUS.

*Concurrere, & occurrere quid ſignificet*. Tit. VII. §. 1. n. 9.
*Non ſufficit populi concurſus ad cantandam miſ-*

ſam

*ſam votivam ſolemnem, ſed requiritur concurſus propter ſolemnitatem*. Tit.VIII. §.1.n.18.

CRUX.

*Signum Crucis a fronte ad pectus ad* ℣. Deus in adjutorium &c. *terminandum una ſimul*. Tit. VII. §. 2. n. 5.

*Celebrans Cruci ſemper caput inclinat dum accedit, aut recedit a medio*. Tit. VIII. §. 2. numer. 21.

*Cruces altarium, & proceſſionum non ſunt neceſſario benedicendæ, poſſunt tamen privatim non ſolemniter a ſimplici Sacerdote benedici*. Titul. XII. §. 1. verſic. Cruces in fin.

ÆTAS.

*Chriſtus Dominus in ſexta ætate natus* Tit. VII. §. 1. n. 25.

GENUFLEXIO.

*Genuflexionum myſterium*. Tit. VI. §. 1. n. 10.

HOSTIA.

*Quomodo conſumenda Hoſtia in altera miſſa præconſecrata*. Tit. II. §. 1. num. 13.

*Quando duæ conſecrantur Hoſtiæ quomodo ſuper corporale collocandæ*. Tit. VI. §. 3. n. 12.

INCENSATIO.

*Quomodo Acolythi debeant in proceſſione SS. Sacramentum incenſare*. Tit. VI. §. 3. n. 41.

MA-

MANIPULUS.

*Diaconus, & Subdiaconus numquam accipiunt manipulum quando Celebrans eo non utitur, niſi cantaturi ſint epiſtolam, aut Evangelium.* Tit. VI. §. 5. n. 5.

B. V. MARIA.

*Maiora beneficia contulit Deus uni Mariæ, quam toti Eccleſiæ.* Tit. XIII. n. 53.

MISSA.

*An in miſſa ſolemni cum miniſtris poſſit Celebrans aliquorum lectionem omittere.* Tit. VI. §. 5. n. 52.

*Votiva ſolemnis quando cantari poſſit.* Tit. VIII. §. 1. n. 23.

NECESSITAS.

*In extrema proximi neceſſitate tenetur quilibet vitam prodigere, ut eum ab æterna morte eripiat.* Tit. 2. §. 4. n. 6.

NOX.

*Poſt Dominicam Reſurrectionem nox præcedit diem, & quare.* Tit. VII. §. 1. n. 4.

OSCULUM.

*Oſculum libri evangeliorum quid notet.* Tit. VI. §. 3. num. 10.

PARAMENTA SACRA.

*A quibus, & quando ſumi poſſunt ad altare*: Tit. IV. §. 2. n. 12.

PLANETA.

*Ritus aſſumendi, & exuendi planetas plicatas quid innuat*. Tit. V. §. 2. n. 3.

PLUVIALE.

*Quando Celebrans habet pluviale, miniſtri pares cum ipſo procedunt*. Tit. V. §. 2. n. 4.

PRÆCEPTUM.

*Finis præcepti non cadit ſub præcepto*. Tit. II. §. 4. n. 21.

PYXIS.

*Pyxis benedicenda eſt*. Tit. XI. §. 1. n. 31.

RUBRICÆ.

*Satius eſt fidelium turbationem vitare, quam rubricarum apicem ſcupuloſius obſervare*. Tit. II. §. 1. n. 17.

SS. SACRAMENTUM.

*Qui alteri porrigit SS. Sacramentum, puta in eius expoſitione, debet paululum expectare, donec recipiens illud adoret*. Tit. VI. §. 3. num. 43.

*Aſſociantes quacumque occaſione SS. Sacramen-*

*tum*

*tum gaudent refugii immunitate*. Tit. XI. ſ. 4. num. 23.

SESSIO.

*In miſſa quid ſignificet*. Tit. VI. ſ. 3. n. 10.

SEXTA FERIA.

*In ea incarnatus, & mortuus Chriſtus Dominus*. Tit. VI. ſ. 4. n. 64.

SOCIETAS.

*SS. Trinitatis Piſtorii antiquiſſima*. Tit. X. ſ. 2. num. 3.

SPES.

*Dat vires, animum firmat*. Tit. I. n. 11.

TAPETIUM.

*Abſente ſuperiore extendendum ſub ſcamno Celebrantis*. Tit. VIII. ſ. 1. n. 5.

THURIBULUM.

*Extra proceſſionem, & Reliquiarum translationem improbatur uſus duorum thuribulorum*. Tit. VI. ſ. 4. n. 39.

VESPERÆ.

*Cur officia Sanctorum primas, & ſecundas habeant veſperas, officia vero defunctorum non habeant ſecundas*. Tit. X. ſ. 3. n. 10.

UM-

UMBELLA.

*Extendenda ſuper SS. Sacramentum, donec Celebrans baldachinum ſubeat*. Tit. VI. §. 3. num. 39.

FINIS.

AP.

Digitized by Google

# APPROBATIONES.

ADmodum Rever. & Excellentiſs. D. Hippolytus Roſſelli Sacræ Theologiæ Doctor videat Librum hunc, cui Titulus = *Praxis Sacrorum Rituum &c.* = & referat an aliquid contineat, quod bonis moribus, & Fidei Orthodoxæ adverſetur.

Dat. die 20. Decemb. 1738.

*Dominicus de Bardi Vic. Gener.*

DE mandato Dominationis Tuæ Illuſtriſſimæ ac Reverendiſſimæ opus hoc, cui Titulus *Praxis Sacrorum Rituum &c.* attente perlegi, cumque in illo nihil fidei Orthodoxæ, & bonis moribus contrarium repererim, prælo dignum exiſtimo. In quorum fidem

Dat. die 4. Januar. 1738. ab Inc.

*Hippolytus Roſſelli.*

Attenta ſupradicta relatione imprimatur.

*Dominicus de Bardi Vic. Gener.*

Google

ADmodum Rev. Pater Lector Theologus Thomas Maria Griſelli Cenſor hujus S. Inquiſitionis videat, & referat.
Dat. in S. Inquiſit. 4. Februar. 1738. ab Inc.

*F. Franciſcus Antonius Benoffi Vic. Gen. S. Officii Florentiæ.*

JUſſu Reverendiſſimi Patris Inquiſitoris Generalis S. Officii Florentiae legi librum, qui inſcribitur: *Praxis Sacrorum Rituum, &c.* in eo nihil offendi quod Chriſtianae ſapientiae placitis adverſetur, & bonos mores corrumpat; ſed omnia ſubſpexi ſcitu digna & utilia: dignum itaque cenſeo, qui typis mandetur, ut doctiſſimo Authori plurimum laudis accedat.
Dat. Florentiae in Collegio S. Marci Ord. Praed. 9. Februar. 1738. ab Inc.

*Fr. Thomas Maria Griſelli.*

Stante prædicta atteſtatione imprimatur.

*F. Franciſcus Antonius Benoffi Vic. Gen. S. Officii Florentiæ.*

Carolus Ginori pro Reg. Celſit. vidit.

| ERRATA | | CORRIGE |
|---|---|---|
| Pag. 11. n. 14. | quamvis ipſe | ſit ipſe |
| 17. n. 5. | altoque | alboque |
| 20. n. 5. | tetro | tertio |
| 26. n. 3. | faſe | fuſe |
| 48. n. 3. | Supercalibus | Lupercalibus |
| 75. n. 2. | Cruces & palma | cum palma |
| 100. n. 27. | ablutionem ponit | ſumit |
| 120. n. 21. | ibique in medio | ſtat in medio |
| 143. n. 7. | forcibus | forcipibus |
| 263. n. 15. | tum ad verba | dum ad verba |
| 275. n. 13. | quando in parte epiſtolæ | quod in parte |
| 335. n. 6. | Tempore 40. horarum intermedio | Tempore 40. horarum,die interm.d. |
| 338. n. 12. | facta genuflexione | diaconus facta gen. |
| 350. n. 3. | miniſtris ſuper ſuppedaneum genufl. | miniſtris genuflexis. |
| 357. n. 18. | dicit ſubmiſſa | ſubmiſſa voce |
| 361. n. 7. | per viam proceſſiones | per viam debeant proceſſiones. |
| 362. n. 11. | juribus & parocho | juribus parochialibus, & parocho |
| 367. n. 21. | cauſas fieri | cauſas fiunt |
| 368. n. 22. | attingebantur | aſtringebantur |
| 383. n. 12. | fuit ita | fuit iſta |
| 394. n. 15. | Hoſtiam reverſam | reſervatam |
| 402. n. 14. | uſque ad octavam domin. in albis | uſque ad dominicam in albis |
| 417. n. 56. | nempe quod eſt magis | nempe ut, quod eſt magis. |

Restauro del Libro
Badia di Cava
00565597 2
Google